AD PENULTIMUM PANDECTARUM TITULUM, QUI EST DE VERBORUM ET...

Mathias Stephani




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
22 A
5

AD

Penultimum Pandectarum titulum,

QVI EST DE

VERBORUM ET RERUM SIGNIFICATIONE,

Notæ,

In quibus singulæ leges & paragraphi illius tituli breviter sed juridicè explicantur:

OPERA ET STUDIO

MATTHIÆ STEPHANI JC.


& Antecessoris in Academia Gryphiswaldensi.

Index legum & Paragraphorum, itemq; nominum & rerum præcipuarum in fine adjectus est.











ROSTOCHI
Impensis & Litteris Augustini Ferberi.

Anno M. DC. XXVIII.

AD

Penultimum Pandectarum titulum,

QVI EST DE

VERBORUM ET RERUM SIGNIFICATIONE,

Notæ,

In quibus singulæ leges & paragraphi illius tituli breviter sed juridicè explicantur:

OPERA ET STUDIO

MATTHIÆ STEPHANI JC.

& Antecessoris in Academia Gryphiswaldensi.


Index legum & Paragraphorum, itemq; nominum & rerum præcipuarum in fine adjectus est.



ROSTOCHI

Impensis & Litteris Augustini Ferberi.


Anno M. DC. XXVIII.



ADMODUM REVERENDO,
ILLUSTRI, AC GENEROSO
DOMINO, DN.

VOLCMARO WOLFFGANGO,

Libero Baroni in Pudbuß; Sacri Johannitarum Ordinis Equiti, & Commendatori in Wildenbruch/ Domino suo perclementi;



S. D.

ADmodum Reverende, Illustris, ac generose Liber Baro, Domine perclemens: Tituli *de verborum & rerum significatione*, cognitio, non modò omnibus juris studiosis & Doctoribus, verùm etiam ipsis judicibus & senatoribus est valdè necessaria. Quid enim, quæso, ipsi juris interpretes, vel in foro, vel in Scholis, sine hoc titulo proficerent? Quid judices, nisi hujus titu-

tituli operâ instituti & edocti, de verborum variis & ambiguis significationibus, in judiciis cognoscerent & intelligerent? Et sic videmus, Pandectarum opus hoc titulo claudi; qui est generalis, in quem verborum ejusmodi significationes conjectæ sunt, quæ ad causæ vel quæstionis, in legibus sæpè occurrentis, decisionem multum ponderis adferunt. Sanè βασιλικῶν opus primo loco hunc titulum ponit; Sed utriusq; positionis eadem ratio est: quippe quod hic titulus meët in juris universum corpus. Adeoq́; rectè quis dixerit, hunc titulum esse quandam Epitomen Pandectarum, omnia ferè, quæ prolixius antè disputata, brevi conjectione enarrantem. Ut itaque fidei & inspectioni meæ commissis eorumq́; studiis inservirem, brevem hãc interpretationem legum & Paragraphorum ex Interpretibus congestam,

cum


cum illis communicavi, & rogatu quorundam publici juris fieri volui. Hoc qualecunque opusculum, Tibi, admodum reverende, illustris ac generose Liber Baro, Domine perclemens, dico, & submisso animo styloq; offero. Disseritur in illo de verborum variis & ambiguis significationibus, quarum cognitione cum egregiè Te instructum esse, & vel maximè delectari cum sciam, certam inde spem concipio, Tibi hoc munus chartaceum non fore penitùs inacceptum. Quin & simul devotæ observantiæ meæ debitæ vel aliquod saltem sive testimonium, sive monumentum apud Te esse, maximoperè exopto. Vehementer itaq; Te oro atq; obtestor, ut chartaceum hoc munus, placido ac benigno animo, vultuq; sereno gratiosè suscipias, meq; & studia mea eo adfectu & clementia singulari, quâ erga omnes literatos es, tibi clemē-

te commendata esse patiaris. Quod superest unicum ac solum, illud à DEO summis precibus peto atq; contendo, ut Te ad sanctissimi sui nominis & numinis gloriam & laudem, adq; Patriæ & Christianæ Reipublicæ singulare ornamentum, commodum & emolumentum, longævâ vitâ donet, exsatiet ac beet. Gryphiswald. Anno M. DC. XXVI, die XXXI. Augusti.

Vest. Generosit.

deditissimus

MATTHIAS STEPHANI JC.



AD



AD RUBRICAM

sive

Titulum Libri I. Pandectarum

DE VERBORUM ET RERUM SIGNIFICATIONE.

DIXI, *ad rubricam seu titulum*: Quos enim hodie *titulos* & inscriptiones vocamus, antiquitas *Rubricas* appellabat: ideò quia tituli antiquitas rubro colore pingi solebant *l. 2. §. pen. ff. de interdict.* At *titulos* ex eo dici, quod nigrum h.e. subsequentem textum tueantur, notat Corasius *ad Rubr. de servit.*

Titulus est, *de verborum & rerum significatione*: secundum vulgarem lectionem. Et sic quoq; *titulus 38. lib. 6. Cod.* inscriptus est: *de verborum & rerum significatione.* Quin etiam *rerum verborumq;* libri citantur à Gellio *lib. 13.* Quamvis autem in Pandectis Florentinis (quæ græcis characteribus, latino tamen sermone scriptæ dicuntur) ea verba *& rerum* absint: attestante Cujatio *h. loc.* quibus consentire, addit, & βασιλικὰ in quibus est, περὶ ῥημάτων σημασίας: attamen cum verba sint rerum notæ, non adeò inconcinnè ea verba interjecta esse existimandum est. *Codd. ad rubr. h. n. 28. & seq.*

AD L. I.

Verbum hoc si quis, *tàm masculos, quàm fœminas complectitur.*

ULpianus ait, *Verbum illud, si quis, utrumq; sexum complecti*, ac si commune esset: Meritò itaq; etjam ex sermonis proprietate fœminas comprehendit *Cujat. Alciat. & Godd. ad h. l.* Masculinum namq; continet fœmininum *h. l. 1. l. pronunciatio 195. in pr. l. qui duos mulos 62. de legat.* 3. ubi JCtus Julianus ait: Semper sexus masculinus fœmininum continet *l. illa verba 163. §. 1. l. pueri 204. h. lit.* ubi appellatione pueri etiam venit puella. Nec immeritò: Quia à potiori fit denominatio: Potior autem est mas quàm fœmina *l. 1. de senator.* Nec ulla hic sexus confusio, sed sermonis compendiosi explicatio quędam traditur. *gl. in l. servis legatis. ff. de legat. 1.* Et sic masculino genere non solum in contractibus comprehenditur genus fœmininum *Jul. Clar. §. emphyteusis quæst. 32. n. 2. ubi dicit, æquitati juriq; regulari contrariam esse illam Dd. opinionem, quæ filias ab emphyteusi excludit, quam pater pro se & suis filiis accepit.* Item in statutis *Zuchard. in l. 63. C. de edict. D. Adr. toll.* sed etiam in caussis & decisionibus pœnalibus *h. l. n. & l. si quis 7. de jurisdict. & ibi Jason. num. 1. & seq. Sichard. ad l. 4. C. de serv. fugit. n. 28. Godd. ad h. l. n. 53. & seqq.*

Cur verò fœmininum vice versa non contineat masculinum, rationem reddit Pomponius *l. si ita scriptum 45. pr. de legat. 2.* Exemplo scilicet pessimum esse,

esse, fœminino vocabulo etiam masculos contineri. Sed verior ratio est, quia vir sive mas primò creatus est, ex quo prius creato, fœmina tanquam ejus portio & pars sit effecta, *Godd. ad h. l. n. 32.* Quin & viro imperium in beluas, ipsamq; uxorem concessum: quam dignitatem verò datam dehonestaremus, si fœminino verbo masculinum contineri concederemus. Ne dicam ipsi DEO & naturæ injuriam inferri videri, si non ab eo quod perfectius, & pluris est, denominationem faceremus, sed in imperfecto perfectius contineri diceremus *arg. c. imago 33 quæst. 5. Godd. ad h. l. num. 64.*

In caussis itaq; & decisionibus etiam pœnalibus masculinus sermo ad utrumq; sexum regulariter pertinet *per hunc text. & d. l. si quis* 7. unde & statum loquens de adultero loquendo, habet etiam locum in adultera. Sanè si loquentem aliter sensisse probatum fuerit, masculino fœmininum contineri negabimus *l. Lucius Titius 93. §. quæsitum 3. ff. de legat. 3. text. & gl. in d. c. imago quæst. 5. verb. in homine.* Sic & in materia differenti dicendum masculino fœmininum non contineri *l. 3. in pr. & §. seq. de negot. gest. l. 1. §. l. de constit. pec.* Est autem materia differens, quæ non tàm ad fœminas, quàm viros aptari potest. Exemplum est ratione maternæ differentis; de procuratore, vel etiam judicandi munere; item de magistratu obeundo, à quibus omnibus arcentur fœminæ *l. alienam C. de procurat. l. fœminis l. neq; fœminæ ff. eod. l. 2. C. de his qui ven. ætat. l. cum prætor. 12. de judic. l. 2. de reg. jur.* Sic ad mares duntaxat pertinent

feuda, si filiis feudum acquiratur, non item ad fœminas *§. filia verò tit. de success. feud. in usib. feud. Curt. de feud. p. 3. memb. 1. n. 1. 18. & 25.* unde & in materia feudali fœmininum sub masculino contineri negandum est *Alciat. h. & Godd. n. 50.* At in materia indifferenti, qualis est, quæ ad mulieres & viros promiscuè pertinet, fœmininum sub masculino genere continetur, & præsertim in favorabilibus, regulariter *Sichard. in l. 4. C. de serv. fugit. num 27.*

AD L. II.

Urbis *appellatio muris,* Romæ *autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet.*

PRætor se jus dicturum in urbe pollicebatur. Quæritur itaque, quid appellatione urbis significetur? Ideoq; Paulus illud interpretans, respondit, *urbis* appellationem muris, *Romæ* autem appellationem continentibus ædificiis finiri. *h. l. n.* Atque ita innuit. *Romam* latius patere quàm *urbem*. Continentia autem hic appellantur, ædificia urbi connexa & quasi cohærentia, sive suburbia, ad quæ etiam horrea custodiæ causa extra urbem posita referri debent *l. cur quæ 84. de legat. 3.* Quod autem urbs muris finiatur; omnibus urbibus commune est. Urbs enim ab urvo appellatum est: Urbare est aratro definire: & Varus ait, urbem appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi solet *l. pupillus 239. §. urbs, inf. eod.* urbis tamen appellationem, non aratri circumductione, sed muris finiri, ait Paulus

lus *h. l. n.* Scilicet designatio non semper fit aratro; & illius loco nunc sunt muri. Igitur etsi muri ultra fines antiquos extendantur, etiam post comprehensum urbis appellatione nunc veniet; quia utiq; & hoc nunc intra muros est, & veteres hoc navassent æquè *Alciat. & Godd. ad h. l. n. 25.* Idem dicendum de civitate, castro, villa, oppido *c. si civitas 17. de sentent. excomm. in 6. Alciat. ad h. l. n.*

AD §. I.

Cujusq; diei major pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.

HIc textus intelligitur de die naturali, non de civili. *Dies namq; civilis est*, qui more Romano media nocte incipit, & altera media nocte iterum finitur, & horas XXIV. habet *l. more 8. ff. de feriis.* At *dies naturalis* est, spacium inter Solis orum & occasum, duodecim horarum; sic dictus, quod XII. istis horis naturali diei luce fruimur. Idem etiam dicitur *artificialis*, eo quod partes ejus, hoc est, horæ artificio ejusmodi distingventur & computentur. *Dies civilis* itaque à media nocte incipit: *at naturalis dies* est solum tempus lucis, qui opponitur nocti *Cujat. 15. Obs. 32.* Quæ sit major diei civilis pars, frustrà tractabitur; cum in effectu minori istius diei parte actum, æquè fit, ac si actum esset majori *d. l. more 8.* De naturali die interest solum scire, quæ ejus sit major pars: postquam in eodem demum interest, majori an minori diei parte quid actum sit. Si ope-

operas majori diei parte præstandas stipulatus fuero, si quid agendum aut faciendum sit majori parte diei, non est satis quocunq; momento factum esse, sed refert scire, quæ major pars diei sit, quâ rectè stipulationi satisfactum dicatur. Hoc Paulus hic definit, *esse horarum septem primarum diei, non supremarum.* Penultima ex septem primis, prima est ex septem supremis. Negat septem supremas horas majorem diei partem, propter qualitatem ipsarum horarum; eò quod horis illis matutinis, homines recentes & integri libentius se ad labores dent, quàm supremis sive postremis post meridiem, quibus jam ferè fassi sunt, vel certè non ita promti & apti ad labores perferendos. Et quidem constat, Romanos prima diei parte, seriis rebus vacare solitos, reliquum verò palestræ, conviviis & jocis tribuisse. Huc versus ille pertinet:

Sex horæ tantùm rebus tribuantur agendis,
Vivere post illas litera Ζῆθι *docet.*

Cujus distichi ratio est, quoniam *sexta* hora per Ζ. significatur, sicut *septima hora* per η, *octava hora* per θ, *nona hora* per ι. Quæ literæ junctæ Ζῆθι conficiunt, quod est vesci ut vivas. Verius itaq; est, septem priores cujusq; diei horas esse majores, *non numero vel quantitate, discreta,* cujus intuitu hinc inde septem sunt, *vel continua,* cum horæ supremæ non finiantur citius quàm primæ, cursusq; Solis semper sit æqualis, sed utilitate & commoditate laborandi *Godd. ad h. l. n. 31.*

AD L. III.

Itinere faciendo viginti millia passuum in dies singulos *peragenda; sic sunt accipienda, ut si post hanc dinumerationem minus quam viginti millia supersint, integrum diem occupent, veluti viginti unum millia sunt passuum: biduum eis attribuetur: quae dinumeratio ita demum facienda, si de die non convenerit.*

ABsenti in jus vocato, certi dies præstituuntur, quibus se sistere cogitur. Sed quæritur, quot passus in singulos dies debeant dinumerari? Et respondetur, *in dies singulos numeranda esse viginti millia passuum*, sive viginti lapides. Veteres enim latini, lapidibus itinera distinguere solebant, cum ad singula passuum millia, lapidem positum haberet *Myns. in §. qui autem Inst. de excusat. tut.* Adeoq; mille passus, milliare, milliarium idem significant, illud nempe terræ spacium, quod mille passus habet. *Passus* est quinq; pedum: *Milliarium* est mille passuum. A tutelâ excusat centesimus lapis *l. non solum §. qui testamento l. propter litem §. 1 de excusat. tut.* qui centesimus lapis, centum milliaria, adeoq; viginti milliaria germanica designat. Cæterum etsi Geometriæ nostri plerunq; quatuor millia passuum pro uno milliario germanico numerent; id tamen passim non observatur: unde Mynsingerus quinque Italica vulgaria, sive quod idem est, quinque millia passuū numerat pro uno milliario germanico *Myns. consil. 54. num. 8.* unde & in Camera tempus est arbitrarium, quantum nimirum cuique pro vicinitate

vel

vel propinquitate loci ad veniendum concedi debeat, teste Andrea Gail *1. Obs. 53. n. 20.* maximè ubi incertis & inæqualibus spatiis itinera sunt definita. Unde dicendum est, *hanc legem* procedere potissimum in Italia aliisq; locis, ubi itinera certis & æqualibus spatiis sunt dimensurata: Cæterum si non sint xx. milliaria integra, aut aliquantulum ultra xx. supersit, nihilominus totum diem computandum tradit Ulpianus *h. l. n.* ubi tamen addit: de dinumeratione aliter faciendâ licere inter contrahentes convenire. tunc enim pro se introducto renunciare licet *c. 1. Ext. de judic.* At hoc jus ex commoditate iter facturi ita constitutum: tum etiam simul in commodum ejus, cujus alium adesse interest, ne fortè negotium itinerum diurnorum nimia brevitate protuletur indebitè & cum ipsius tædio: rectè itaq; hi favori & juri suo renunciabunt *h. l. n. in fin. ibi,* si de die non convenerit *l. si quis in conscribendo c. de Episc. & cler. Godd. ad h. l. nost. num. 24. & seqq.*

AD §. I.

Ejus qui apud hostes decessit, dici hereditas non potest; qui servus decessit.

QVæritur, an hæreditatis nomen etiam rectè dicatur de relictis à captivo & apud hostes defuncto? Negat hoc JC. *hoc §. 1.* Hereditas enim est successio in universum jus, quod defunctus habuit *l. nihil est aliud. h. tit.* Atqui servus est juris expers; imò jure pro nullo habetur, adeoque pro mortuo *l. quod attinet l. servitutem. de reg. jur.* Ideoq; nec ejus

est

est hereditas *l. 2. c. comm. de success.* cui consequens est, captivorum bona, aut capientibus, ut dominis *§. item vobis 3 Inst. per quas pers. cuiq; acquir.* aut fisco, ut vacantia addicenda *l. 1. C. de bonis vacantib. lib. 10.* sed huic regulæ lex Cornelia remedium adhibuit, quo hereditas ipsius qui apud hostes decessit, fictione legis Corneliæ sustineatur; ita sc. ut ad eam hereditatem legitimi heredes propter utilitatem publicam admittantur, ac si in civitate mortem obiisset *l. lege Cornelia ff. Qui testam. fac. poss l. lex Cornelia 28. ff. de vulg. & pup. substit. Coras. 7. Miscell. 17.*

AD L. IV.

Pecuniæ appellatione rem significari Proculus ait.

VErior & probabilior lectio est *pecuniæ* quàm *nominis*: tum ne aut malè cohærent cum vocabulo, *significari*: aut illud quoq; mutari oporteat: tum quod propè impossibile sit, compilatores hujus tituli, adeò sui immemores fuisse, ut quæ in proximis tribus versiculis proposuissent, illa in *l. 6. h. tit.* repetierint. Dicit autem JCtus, *pecuniæ appellatione rem significari.* h. e. pecuniæ appellatione veniunt res sive corporales, sive incorporales, sint sive mobiles, sive immobiles, neq; solum species & corpora, sed etiam jura & universitas *h. l. n. l. pecuniæ 178. l. pecuniæ 222. l. sæpè 52. h. tit.* sed hæ res veniunt appellatione pecuniæ, non ut sunt per se, sed ratione ejus, quod inest, generis sc. quod inest speciebus. Et idcircò dicendum est, *pecuniæ verbum*, & hæreditatem *d. l.*

d. l. sæpè. & res in hereditate existentes *l. cum stipulamur 97. h. tit.* & jura tàm obligationum & actionum, quàm servitutum, interdictorum, ac similium comprehendi. *d. l. pecuniæ 222. h. tit.* Adeò generalis *pecuniæ* significatio *in h. l. n.* indigitatur & adducitur. *Godd. ad h. l. n. 7. & seq.*

AD L. V.

REI appellatio latior est quàm PECUNIÆ, qua etiàm ea quæ extra computationem patrimonij nostri sunt, continet; cum pecuniæ *significatio ad ea referatur, quæ in patrimonio sunt.*

LIcet appellatio pecuniæ tam latè se extendat, *ut dictum est ad l. 4.* Rei tamen appellatio latior est, quia etiam ea, quæ extra computationem patrimonij sunt, continet. *h. l. n.* puta, res sacras, sanctas, religiosas, liberum hominem. ut ita ex his pateat: Inter rem & pecuniam tantum interesse, quantum inter genus & speciem. Nam pecunia non continet illas res, quæ in patrimonio nostro esse non possunt, cujusmodi est liber homo *l. receptitia 2. c. de constit. pec. l. tantum 88. h. tit.* quas vocabulum rei comprehendit *l. inter stipulantem 83. §. sacram. de verb. oblig.* si non agatur de libertate ejus.

AD §. I.

Opere locato conducto: *his verbis Labeo significari ait id opus, quod græci ἀποτέλεσμα vocant; non ἔργον; id est, ex opere facto corpus aliquod perfectum.*

Opus

OPus varia significat: Aliquando factum quodvis; aliquando operationem ipsam; aliquando corpus ex operatione relictum. Idq; vel imperfectũ, *ut in edicto, de novi operis nunciatione*, vel perfectum, *ut in opere locato conducto.* Et in hac significatione, corpus sive opus fecisse non intelligitur, qui ei propriam formam, quæ ex consummatione h. e. perfectione contingit, non dederit *l. si is qui 80. §. quædam legata ff. ad L. Falcid.* Igitur *opere locato conducto*, contractui non ante satisfactum erit, quàm opere ad finem producto. Quod *hic* Paulus explicat nominibus græcis & circumscriptione latina. Ἔργον exprimit ipsum operandi actum, quem operis locator nequaquam spectat, postquam ex eo nihil lucri percepturus est *arg. l. actionum 25. ff. de oblig. & act.* Spectat ἀποτέλεσμα rem per operationem perfectã, ad finem perductam, ut usui esse possit *l. ædificia 139. in fin. h. tit.*

AD L. VI.

Nominis & rei *appellatio ad omnem contractum & obligationem pertinet.*

PEr *nomen* intelligitur id quod debitum est, & aliqua actione, petitione vel persecutione exigi potest: Adeoq; *nomen* generaliter accipitur pro omni obligatione, tàm pœnali, quàm alia qualibet, sive ex delicto sit, sive ex contractu sit, sive alia qualibet causa *h. l. nost.* Sic nomina facere & contrahere, de omni dicitur contractu *l. 1. de annuis leg. l. 3. §. multa*

B *ff. de*

ff. de jure fisci. Unde est, ut cui *nomina* legata fuerint, debeantur & cedi oporteat omnes omninò actiones & obligationes, adeoq; & in summo, quidquid in actionibus petitionibus hereditariis est *l. qui chirographum ff. de legat. 3. Godd. ad h. l. n. 15. & 16.* Reus licet interdum pro debitore accipiatur, cui creditor opponitur, & quidem strictius interdum pro eo tantum debitore, qui ex contractu vel delicto a quo privato debet; hoc loco tamen largius ad quamlibet obligationem realem, personalem, civilem, naturalem, pœnalem, criminalem, publicam refertur *h. l. & l. properandum c. de judic. c. foras Ext. h. tit.* Concludendum itaque est: latam esse Nominis & Rei significationem, sive ad civilem sive criminalem referamus causam: si subjecta materia aliud non suadet. *Godd. ad h. l. nost. n. 22.*

Ad §. I.

Verbum Ex Legibus *sic accipiendum est, tàm ex legum sententia, quàm ex verbis.*

Sententia *hujus §* est; *Ex legibus esse:* Non tàntùm significare ipsa legum verba, sed etiam mentem, sententiam, & rationem. Quod adeò verum est, ut Celsus responderit; Scire leges, non hoc esse, verba earum tenere, sed vim ac potestatem *l. scire ff. de legib.* Quin & verba inventa sunt, ut mentem exprimant, mentiq; & sententiæ loquentis inserviant *l. scire oportet §. si aliud ff. de excusat. tut.* Ieeòq; bona occasio est, si quid saluberrima lege sancitum est, ut

id ad

id ad similes casus extendatur, vel prætoria jurisdictione suppleatur *l. & ideò l. seq. l. nam ut ait ff. de legib.* Quis enim ignorat impossibile esse, ut ita leges conscribantur, quibus singuli casus singulaq; negotia disertis verbis sint decisa *l. neq; leges l. non possunt ff. de legib.* Adeoq; non solum illud lege contineri censendum est, quod verbis legis exprimitur, verùm etiam illud, quod ex sententia & mente seu ratione legis per certam ratiocinationem indicatur & eruitur *per hunc text.* Et hinc actiones æquè directæ sunt, quæ ex legis sententia, etiam verbis deficientibus, dantur, atque illæ quæ dantur ex verbis *Mynſ. ad §. cæterum Inſt. de leg. Aquil.* Quod verò nec ex verbis, nec sententia legis est, propriè non dicitur ex legibus, sed ad exemplum utiliter receptum *arg. pr. Instit. de legit. parent. tutela; Godd. ad h. §. n. 16. & seqq.*

AD L. VII.

Sponsio appellatur, non solum quæ per sponsus interrogationem fit, sed omnis stipulatioq; promissioq;.

SPonsio fit propriè per solam stipulationem, quæ solenni constat interrogatione & responsione, per verba, spondes? spondeo. Ejusmodi sponsio etiam inter stipulationes judiciarias erat, quâ provocabatur adversarius in exordio litis calumniæ plectendæ causa *§. ecce enim 1. vers. hæc autem Inst. de pœna tem. litig. Cujat. lib. 2. Pauli ad edict. ad h. l. n.* Quod si verò sponsio aliis verbis fieret, per aliam stipulationem aut promissionem, quæsitum est, an aliæ sti-

pulationes & promiſſiones rectè ſponſio dicantur? Et Paulus *h.l.* adnotavit, ſponſionem vocari omnem ſtipulationem; Itemq; quamvis aliam promiſſionem, quæ ſine ſtipulatione fit, interrogatione & reſponſione non ſolenni *l. jurugentium 7 §. quod ferè 12. de pact.* Sponſio itaq; generale nomen eſt, & tàm ad ſtipulationem quàm pactum, pollicitationem, alioſq; contractus, qui conſenſu de re aliqua, vel cum re fiunt, refertur *h. l. n. ubi Godd. n. 15. & ſeqq.* Sponſio enim ab eo dicitur, quod ſpontè fit vel dicitur; uti etiam ſpondere, quaſi ſpontè dicere, ac promittere *Alciat. 1. parerg. 2.* Quæ notatio non ſolum competit ſolenni ſtipulationi, verùm etiam omni conventioni & pacto *l. pen. de aleat. l. ſi gratuitam 17. §. fin. de præſcript. verb.* Et promiſſionem JCtus adjecit, ut tolleret dubitationem, utrum de ſola illa ſtipulatione ſolenni, quæ fit per interrogationem & reſponſionem, ſponſio accipiatur, an verò de omni promiſſione, ſive ſolenniter illa fiat ſive pacto *Accurſ. & Donell. in l. unic. num. 7. C. de ſuffrag.* Nec in privatis tantum locum habet, verùm in publicis quoque. Itaq; & *in l. 1. de legib.* lex definitur communis Reipublicæ ſponſio: eò quod cum tacitè tum expreſsè civitas legem conſenſu ſuo approbat. *Godd. ad h. l. n. num. 17.*

Ad L. VIII.

Verbum, Oportebit, tàm præſens, quàm futurum tempus ſignificat.

QVamvis quod in futurum differtur, præſens eſſe non poteſt: undè qui vult agere, præſens debi-

tum

tum in judicium deducere debet *§. plus autem 33. Instit. de legat.* & certum *§. curare 32. Instit. de actionib.* quod autem futurum est, incertum, propter incertum rei eventum *l. qui in utero 7. de stat. hom.* Nihilominus tamen Paulus *hic* respondet; Verbum, *oportebit*, tàm præsens quàm futurum tempus significare. Tempora namque quandam inter se connexionem habent, qua de causâ unum aliud continet, si non actu, saltem potentiâ, si actus conditio id suadeat *Godd. ad h. l. nost.*

AD §. I.

Actionis verbo non continetur exceptio.

QVamvis agere is etiam videatur, qui exceptione utitur *l. 1. de except.* Paulus tamen *hic* scribit: *Actionis verbo non contineri exceptionem.* Quia actionis & exceptionis contrarij sunt fines. Actio enim est jus persequendi in judicio quod sibi debetur *in pr. Instit. de act.* At exceptio non est jus persequendi in judicio quod sibi debet, sed potius ejusmodi persecutionis exclusio *l. exceptio 2. de except.* Planè cum excipiens intentionem suam probare debeat, & hoc casu actoris loco habeatur & agere dicatur *l. 15. ff. rem rat. hab.* Exindè Reum in exceptione sua actorem esse, & per consequens verbo actionis, denotari exceptionem, responsum est *in d. l. 1. de except.* Aliàs exceptio regulariter reo non est probanda *l. qui accusare 4. C. de edendo.*

Ad L. IX.

Marcellus apud Julianum notat, verbo rapuisse, *& scissum, & fractum contineri.*

IN lectione variant Dd. Quidam enim legunt *rapuisse*, quidam verò *periisse* legunt: de quo videatur Goddæus *h. n. 4.* sed antiqua & magis recepta lectio, quæ habet *rapuisse*, tanquam verior, retinenda est. Rapere seu eripere, est de manibus auferre per raptum *l. sed eximendi 4. in princ. Ne quis eum qui in jus voc.* sive rem per vim furari *in pr. Instit. vi bon. rapt.* Scissum hic intelligitur de vestimentis & rebus similibus *l. 14. eod.* Fractum de rebus non complicabilibus: Ruptum de re quacunq; corrupta *§. capite tertio 13. Instit. ad L. Aquil.* nam & scissum & fractum, ruptum rectè dicitur *l. si servus 27 §. & non negat 16. ad L. Aquil.* Si itaq; raptor tentaverit eripere, domino resistente autem non peregerit, sed tamen rem laceraverit, aut fregerit, aut ruperit: etsi non possit dici de manibus propriè abstulisse, quod dominus in manibus retinuit: tamen æquè scissum, fractum aut ruptum domino abest, ac si omninò esset ablatum: cum forma sit mutata, & earum rerum pretium non in substantia seu materia, sed in arte, quà ad certum usum perficiuntur, sit positum *l. Labeo & Sabinus 14. inf. h. tit. Godd. ad h. l. num. 12. & seqq.*

Ad L. X.

Creditores accipiendos esse constat eos, quibus debetur ex quacunq; actione, vel persecutione; vel jure ci-

vili, sine ulla exceptionis perpetua remotione, vel honorario, vel extraordinario: sive purè, sive in diem, vel sub conditione. Quod si naturâ debeatur, non sunt loco creditorum. Sed si non sit mutua pecunia, sed contractus, creditores accipiuntur.

HOc loco creditoris significatio investigatur. Quæsitum enim est, quinam creditores, ut in possessionem mittantur, postulare possint? Videbatur, eos tantum creditores esse, qui pecuniam credidissent: pecunia enim propriè in creditum imus, mox recepturi id, quod damus *l. 1. de reb. cred.* sed cum fides & fidei credulitas non minus versetur circa quamlibet aliam conventionem, & obligationis causam, quàm creditam pecuniam; diversum *hic* placuit Ulpiano, qui sic respondet: Creditores accipiendos esse constat *in hoc de postulando edicto* eos, quibus debetur ex quacunq; actione, *quæ est jus persequendi in judicio §.1. Instit. de act. tàm reali quàm personali* Donell. 11. *comment.* 1. vel persecutione, *quæ sine actionis jure, mero judicis officio expeditur l. cum filiusfam. viaticum. ff. de reb. cred.* vel jure civili, sine ulla exceptionis perpetuæ remotione *q. d. modo ex jure civili firma sit ea actio, vel persecutio, nullâ perpetuò duraturâ exceptione possit elidi: dilatoria siquidem creditorũ nomen non abolet §. si quis agens Inst. de except.* vel honorario, *prætorio scilicet & æditio §. prætorum Instit. de jure nat. gent. & civ.* vel extraordinario, *quo extra ordinem juris alicui ex bono & æquo succurritur, veluti minoribus lapsis, JCtus, Advocatus l. 1. & tot. tit. ff. de variis & extraord. cognit.* sive purè, sive in diem, sive sub

conditione *illis scilicet quid debeatur*. Quod si naturâ, *scilicet sola, sine juris civilis aut honorarij, sive extraordinarij auxilij adminiculo, cujusmodi est* αὐτίδωρον *l. item veniunt 25. §. consuluit ff. de petit. hered. unde pacto promissum sine causa l. 7. ff. de pact.* debeatur, non sunt loco creditorum, *hoc est, id neq; creditum est, neq; debitum: neque, cui debetur tale, creditor jure vocari potest: & per consequens in possessionem mitti non debet. Godd. h. l. n. 7.* Sed si non sit mutua pecunia, sed contractus, *hoc est, etsi non sit mutua pecunia, sit tamen aliquis contractus vel obligatio.* Creditores accipiuntur, *id est, dicuntur.* Summa igitur totius responsi hæc est: Quicunque ab altero invito aliquid extorquere potest, sive id possit civili aut gentium jure per ordinariam aliquam vel extraordinariam actionem, vel quolibet alio remedio civili aut prætorio, is creditor dici debet, ut in possessionem mitti possit; modò nulla perpetua exceptione actor ille repelli possit: Neq; verò solus ille dicetur creditor, qui mutuam dedit pecuniam, sed qui alium quemcunq; contractum habet. *Godd. h. n. 8.*

AD L. XI.

Creditorum appellatione non hi tantum accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex qualibet causa debetur.

HÆc lex rectè præcedenti adnectitur, tùm quia paucis comprehendit, & quasi per brevem causæ conjectionem colligit, quod in præcedenti per exemplorum enumerationem prolixè proponebatur:

tur: tum quia versum, *Sed si non sit mutua* praecedentis responsi, satis obscurum explanat, & quod vocabulum *si* pro *etsi* ab Ulpiano positum sit, ostendit. Creditorum appellatione, *inquit*, non tantum accipiuntur *in Prætoris edicto*, qui pecuniam crediderunt, *hoc est, mutuo vel commodato aut deposito dederunt, & re in creditum iverunt l. 1. de reb. cred.* sed omnes quibus ex aliqua causa debetur, *sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu, sive qualibet alia causa obligatio sit contracta l. heres §. fin. l. seq. de judic. Godd. h. l. n. 2. & 3.*

AD L. XII.

Ut si cui ex erupto, vel ex locato, vel ex alio ullo debetur: sed etsi ex delicto debeatur, mihi videtur creditoris loco accipi: Quod si ex populari causa, ante litis contestationem rectè dicetur creditoris loco non esse; postea esse.

HOc responsum pars & sequela est *l. 10.* praecedentis. Nam Cajus *in d. l. 10.* dicebat, creditorum appellatione omnes accipi, quibus ex aliqua causa debetur, id est, ex omni causa obligationem praecedente. Id quod tàm ad delicta quàm contractus pertinere *in hac l. 12.* indicatur exemplis, addita declaratione *in vers. quod si ex populari causa*, ut in actionibus ex delicto promanantibus hoc ita sit & procedat, *si in* bonis esse inceperint. In hac ergò *l. 12. & 2. praecedentib.* una regula, & duae exceptiones proponuntur; nempe eos omnes creditores esse, quibus quid debetur, modò id neq; perpetua exceptione elidi possit, neq; actione vindictae, lite nondum contestata, persequamur. *Godd ad h. l. n. 1. & seq.*

AD §. I.

Minus solvit, qui tardius solvit; nam & tempore minus solvitur.

HÆc est sententia JCti; qui justo tempore non solvit, quo solvere debuit, similis est illi, qui minorem, quàm debet, offert ac solvit summam: at qui minorem offert summam, perinde est, ac si nihil solvisset, modò pignoris distractionem interesse, pœnam, damnumvé spectemus *l. & post tres ff. si quis cautionib. judic. sisti l. quandiu C. de distract. pign. cum similib.* Confirmat hoc alia ratione Ulpianus: *nam & tempore* (inquit) *minus solvitur*: Quasi dicat, non solum re, verùm tempore etiam plus petitur *§. si quis agens cum §§. seqq. Instit. de act. §. hodie autem Instit. de except.* Nam qui tardius solvit, emolumentum medii temporis adimit creditori *l. circa legem 66. pr. ad L. Falcid. obsignatione 9. C. de solut. l. acceptum 19. c. de usur.* & ideò minus solvere videtur *l. si constante 24. §. quotiens 2. ff. solut. matrim. l. ult. de re judic. l. 1. §. 1. de usur. Godd. ad h. l. n. 3.* Sicut itaq; plus peti potest tempore, respectu debitoris, qui interea ex pecuniâ debitâ quid potest lucrari *§. plus autem Instit. de act.* Ita & tempore minus solvi potest, respectu creditoris: Adeoque qui legitimo & constituto die non solvit, propter moram tenetur, *h. l. n. nost.*

AD L. XIII.

Mulieris appellatione etiam virgo viripotens continetur.


Voca-

VOcabulum *mulier* triplicem habet significationem. Aliquando largissimè mulier dicitur, quæcunq; sexus fœminini est, sive viripotēs sit, sive non *l. argumento 25. §. muliebri 9. de auro & arg. leg. l. servis legatis 81. §. mulieribus 1. de legat. 3.* Aliquando pro viripotente & annos XII. habente accipitur, quia ea talis ut corrumpi & virum pati possit: unde & nomen deductum censetur, ut virgo dicatur quasi viridior, ita ut virum pati possit. Quoties igitur sexum ipsum saltem respicimus, mulieris appellatione virgo continetur *h. l. n.* Aliquando deniq; in larga significatione, sive strictè, mulier appellatur quæ nupta est; quo modo, quia non ipsum sexum, sed aliam qualitatem aut relationem ejus, puta, ætatem vel incorruptam pudicitiam consideramus, ac in specie, non in genere virginis vocabulum accipimus, tunc mulier à virgine differt, ita ut virgo opponatur mulieri, & virgo innupta puella denotetur *Cujat. consult. 47.*

AD §. I.

Res abesse videntur, ut Sabinus ait, & Pedius probat, etiam hæ, quarum corpus manet, forma mutata est: & ideò si corrupta reddita sint, vel transfigurata, videri abesse: quoniam plerumq; plus est in manus-pretio, quàm in re.

ULpianus dicit: *Res abesse videntur*, h. est è bonis nostris ablatæ & remotæ, ut patrimonium possessionem nostram deminuisse videantur: *etiam hæ* q. d. non solum quæ corpore absunt, vel periêre, verùm etiam *quarum corpus manet*, h. est, materia rudis, vel dispositio corporis, *forma*, quâ id erat quod erat, *muta-*



mutata est h. e. extincta vel deleta, aut rasa, sive deformata: *Et ideò si corruptæ*, ut exemplis in l. seq. declaratur, *vel transfiguratæ* h. e in aliam speciem commutatæ, & aliâ formæ figurâ indutæ, puta, ex aureo scypho, fibulæ, aut candelabra aurea facta; *redditæ sint, videri abesse*, ut hoc nomine adhuc duret judicium *l. 1. §. si res ff. depos. l. 3. §. si reddita ff. commod.* ut quanti interest, exemplum hunc reum non esse, actione in factum experiri liceat. Rationem addit Ulpianus desumtam à formæ præstantia & bonitate: *Quoniam*, inquit, *plerumq; plus est in manus pretio*: h. e. in æstimatione, utilitate, commodo, elegantia, præstantia & artificio artificij ac formæ, quæ forma per manum seu artificium inducta est. Sic enim manus hic μετωνυμικῶς accipitur, pro eo quod manu factum erat, autore Varrone: ut manus pretium nihil aliud sit, quàm æstimatio, utilitas & pretium illius artificij, manibus artificis effecti, hoc est, formæ artificis manu materiæ impressæ. *quam in re.* h. e. ipsa materia, etiamsi aurum sit, vel argentum, vel unio, aut lapillus, vel tignum, aut pannus. *l. seq. vers. quoniam.* Res enim illud hìc est, ex quo aliquid fit. *Primò* itaq; ratione formæ mutatæ vel corruptæ, res abesse dicitur autore Ulpiano *h. l. n. Godd. ibid.*

AD §. II.

Desinere autem abesse res tunc videtur, cum sic redit in potestatem, ne amittere ejus possessionem possimus; ob hoc, quod furto pridem subtracta est.

SEcundò res abest ob surreptionem, sive amotam possessionem, quia vi furtove nobis est ablata. Id-

que

que Ulpianus *hic in verſ. deſinere autem*, per contrarium deſcribit. Deſinere abeſſe itaq; dicit hic Ulpianus, quid in noſtram poteſtatem ita rediit, ut ejus poſſeſſionem, (ob eandem ſcilicet cauſam, qua recepimus eam,) amittere non poſſimus *l.* 4. §. *tunc in poteſtatem ff. de uſucap.*

AD §. III.

Abeſt & ea res, quæ in rebus humanis non eſt.

TErtiò rem abeſſe docet eam, quæ nec amplius in rebus humanis eſt, hoc eſt, quæ periit; quæ ſi animata fuit, mortua eſt: ſi inanimata, ita caſu obiit, ut nuſquam extet, quia incendio aut naufragio conſumta eſt *l. incendium C. ſi cert. pet. l.* 4. *c. depoſ. l.* 5. *de reb. cred.*

AD L. XIV.

Labeo & Sabinus exiſtimant, ſi veſtimentum ſciſſum reddatur, vel res corrupta reddita ſit, veluti Scyphi colliſi, aut tabula raſa à picturâ, videri rem abeſſe: quoniam earum rerum pretium non in ſubſtantia, ſed in arte ſit poſitum. Item ſi dominus rem, quæ furto ſibi aberat, ignorans emerit, rectè dicitur res abeſſe, etiamſi poſtea id ita eſſe ſciverit: quia videtur res ei abeſſe, cui pretium abeſt. Rem amiſiſſe videtur, qui adverſus nullam ejus perſequendæ actionem habet.

PAulus hoc loco idem dicere voluit, quod Ulpianus in præcedenti reſponſo: quin etiam tot hujus reſponſi ſunt partis, quot præcedentis, nempe tres: *Primò* per exempla docet Paulus, rem abeſſe per formæ mutationem: *Deinde* per ipſam poſſeſſionem,

adeò etiam, ut si ejus nobis adhuc absit æstimatio, licet recuperata sit possessio, ipsa tamen rei possessio abesse videatur: cum nihil quicquam reditu suo possessionem nostram auctiorem reddiderit. *Tertiò* per deperitionem rei. Quomodo res absit per formæ mutationem tradit Paulus his verbis: *Si vestimentum vel scissum, vel Scyphi collisi, aut tabula rasâ picturâ reddita sit, videri rem abesse.* Quoniam earum pretium non in substantia *h. e. materia & rudi corpore*, sed in arte, *seu manus pretio, forma scilicet & cælatura operis* positum est. Alterum hujus responsi membrum continetur his verbis: *Item si dominus rem, quæ furto sibi aberat, ignorans emerit, rectè dicitur res abesse, etiamsi postea,* (cum emisset) *id ita esse sciverit: quia videtur res ei abesse, cui pretium abest.* Nempè illud ipsum abest, ex quo res in patrimonio nostro esse dicitur, æstimatio seu pretium rei *l. tantum 88. inf. h. tit.* Hoc itaque vult dicere: Etsi corpus receperit, pretium tamen ei abest, cum id emtionis jure venditori numeraverit, & ita è bonis suis transtulerit. Quare non suum, sed alienum potius consecutus videbitur. Tertium membrum his verbis absolvitur: *Rem amisisse videtur, qui adversus nullum ejus persequendæ actionem habet:* Simpliciter quidem dicitur abesse, si qua actio ejus nomine nobis supersit, *l. quod te mihi §. de reb. cred.* Ubi verò adversus nullum ejus persequendæ actionem habemus, *ut in l. contractus 23. in fin. de reg. jur.* etiam rem amisisse videmur *h. §. nost. & ibi Godd.*

Ad

AD L. XV.

Bona civitatis abusivè publica dicta sunt: Sola enim ea publica sunt, quæ populi Romani sunt.

UTi sola Roma dicebatur urbs *l. Roma ff. ad munic.* ita & populus accipitur pro solo populo Romano; adeoq; publicum propria est, quod est populi Romani proprium, & non aliarum civitatum. Hinc illi qui vectigal populi Romani conductum habebant, vel etiam vectigal exactum fisco pendebant, JCtis publicani dicuntur *l. 1. §. 1. l. 12. § 3. ff. de public.* Inde dicti, quod publico fruantur *d. § 1.* aliàs Felonæ sive vectigaliarij dicuntur *Cujat. 7. obs. 4.* Propriè, inquam, h. e Jureconsultorum peculiari more. Abusivè tamen etiam aliarum civitatum bona negotiaq; vocantur publica *h. l. n ubi Godd.*

AD L. XVI.

Eum qui vectigal populi Romani conductum habet, publicanum appellamus. Nam publica appellatio in compluribus causis ad populum Romanum respicit: Civitates enim privatorum loco habentur.

DIctum est *in l. præcedenti 15.* qui sint vectigaliarij. *Est autem vectigal* publicum fisco debitum ex mercibus, quæ advehuntur vel evehuntur ex prædiis fiscalibus aliisvè rebus publicis. Et rectè dicitur, pertinere hoc Caji responsum ad confirmationem præcedentis. Nam propriè JCtorum more, *publica* dici *ea bona*, quæ populi sunt Romani; reliquorum verò populorum ac civitatum bona abusivè publica

blica vocari, ostendit Cajus hoc loco dupliciter: tum exemplo *publicani*, tum oppositione privati & publici. Quid *Publicanus*, itemq; quid *vectigal* sit, ex præcedentibus constat. Alterum continetur *in vers. nam publica.* ubi hoc vult: Non quemadmodum in compluribus, h. e. ferè omnibus causis, *publica* appellatio ad *populum Romanum* respicit, ita etiam *ad cæteras civitates & populos* Romanorum & JCtorum more, referri solet. Quia nimirum Romani populi Reique publicæ Romanæ respectu, *cæteræ omnes in orbe Romano existentes civitates & populi, privatorum loco sunt*, in iis potissimum, quæ jus majestatis & regaliorum spectant. Atq; hinc est, quod civitates cum privatis comparentur *l. 15. ff. ad SC. Maced.* Et quod ob pecuniam civitati subtractam, subtrahens non crimine peculatus, sed actione furti tenetur *l. 81. ff. de furt.* Quia nimirum crimen peculatus ob pecuniam tantum publicam interceptam datur *l. 1. §. 1. de crimine pecul.* At uti superius dictum est, abusivè etiam reliquæ civitates earumq; bona, habentur publica *d. l. 15. h. tit. l. 26. §. 9. Ex quib. caus. maj.* Atq; inde etiam est, quod hodie, si de re civitatis aliquid surripiatur, peculatus crimen committi, constitutionibus Principum cautum sit: eoq; jure utimur *l. 4. in fin. ff. ad L. Jul. pecul.* sublata *d. l. 81.* Hinc etiam est, quod JCtus hic inter publica, civitatum bona referat.

Ad L. XVII.

Inter publica habemus non sacra, nec religiosa, nec quæ publicis usibus destinata sunt: sed si qua sunt civitatum velut bona: sed & peculia servorum civitatum procul

cul dubio publica habentur. Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiscus capit: quale est vectigal portus, vel venalium rerum, item Salinarum, & metallorum, & picariarum.

HOc responsum est pars & sequela *d. l. 15. h. tit.* Ulpianus ergò hic docet, quamvis propriè *ea publica* vocētur, quæ populi sunt Romani; quod ipsum Cajus in *d. l. 16.* vectigalium & publicanorum exemplo confirmavit; posse tamen eam appellationem ad reliquarum civitatum bona etiam accommodari per similitudinem *l. Celsus ff. de contrah. emt.* Etiamsi in usu publico non sint, inter publica tamen bona habeantur: modò neq; ad religionem, neque oportunitatem spectent; hæc enim in nullius, ne quidem publicis, esse queunt: quia extra patrimonium, patrimoniiq; computationem sunt *l. 1. & seqq. ff. de rer. divis. §. 1. & seqq. Inst. de rer. divis. & acq. rer. dom.* Inter publica itaq; bona habemus, *inquit Ulpianus*, non sacra, nec religiosa, nec quæ publicis usibus destinata sunt (*h. e. bona publica, ea quæ in patrimonio alicujus populi sunt vel habentur, censeri debent, non quæ religioni vel opportunitati aut defensioni inserviunt*) sed si quæ sunt civitatum, velut bona, (*hoc est, quæ patrimonii sui proprietatisq; loco habent, sive pascua sunt, sive prata, sive reditus, sive frumentum, sive pecunia publica, sive ejus generis sunt alia*) sed & peculia servorum civitatum procul dubio publica *bona* habentur. Sicut enim servile peculium ipsius est & manet domini; sic & respublica dominii jure habet ac retinet suorum servorum, si quos habet, peculia. Hæc pergit Ulpianus explicare interpretatione ve-

ctigalium: Quæ vectigalia propriè dicuntur publica. Deinde quidnam vectigalium appellatione contineatur; nempe omne compendium & emolumentum, quod Respublica ejusq; ærarium ex quacunq; re ad publicum usum consequitur; *veluti vectigal portus, vectigal vænalium rerum, itemq; salinarum, metallorum & picariarum,* quæ latè explicat Goddæus *ad h. l. nost.*

AD L. XVIII.

Munus tribus modis dicitur: Uno *donum: & indè munera dici, dari, mittivè. Altero onus: quod cum remittitur, vacationem militiæ munerisq; præstat: indè immunitatem appellari.* Tertiò *officium: undè munera militaria, & quosdam milites munificos vocari. Igitur municipes dici, quod munera civilia capiant.*

MUneris significationes hìc proponuntur tres: Primo modo dicitur donum; altero onus: tertio officium. Quæ tria plurimùm inter se differunt. Nam munus Martianus id propriè esse dixit, quod necessariò obimus, lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet potestatem *l. munus 214. h. tit. l 92. eod.* Dona autem sunt, quæ nulla necessitate juris vel officij, sed spontè præstantur *d. l. munus.* Munus ergò est necessarium; donum verò spontaneum. Cæterum in latiori significatione munus dicimus pro dono sive liberalitate; pro onere, puta, tutelæ vel curæ, &c. Et in summa in hoc ventum est, ut non quodcunq; munus est, id & donum accipiatur: at quod donum fuerit, id munus rectè dicatur *d. l. munus.* Adeoq; non absurdè forsan dicetur, munus generice

nericè ſumtum, non tantùm donum ſub ſe comple-ctì, ſed & onera, officia *h.l.n. & d.l.munus.* Verùm ſi munus pro dono cum cauſa accipiatur, utputa, pro natalitio, quod eſt donum patrono, qui filium ſuſtulerit, exhibitum; vel pro nuptalitio, quod eſt donum patrono, qui nuptias contraxit, datum; hoc caſu, munus ſpeciem eſſe, donationem genus eſſe patet *l. inter donum 194.h.tit. ubi Cujat.* Donatio enim ſive donum eſt munus quodcunque, ſive cum cauſa, ſive ſine cauſa: illud propriè munus, hoc donum dicitur *d. l. inter donum.*

Deinde munus ſignificat onus, quod cum remittatur, vacationem militiæ munerisq; præſtat: unde eſt immunitas, quaſi ſine munere. Imponitur ejuſmodi munus ſive onus, tum perſonis, tum rebus: unde aliud eſt *perſonale*, quod perſonæ ſolo miniſterio & induſtria, ſine ſumtu adminiſtratur, ut tutela, &c. vel *patrimoniale*, quod cum ſumtu & rei familiaris periculo ſubitur, veluti tributorum exſolutio: vel *mixtum*, quod tàm matrimonio quàm perſonæ indicitur vel imponitur, ut operæ ruſticorum. *l. 1. ff. de munerib. & honorib.* Onus illud plerumq; civile munus vocatur; officium verò publicum munus. Quæ verò habent adnexam dignitatem, honores vocantur *l. honor. 14. §. 1. d. tit.*

Deniq; munus ſignificat officium; unde munera militaria, & quoſdam milites munificos vocamus, qui nimirum propter munera militiam facere coguntur; vel qui ad munera quæcunque obligati ſunt. Atque hinc conſequens eſt: Municipes dici, quod capiunt munera civilia, h. e. munera commu-

nia ejus civitatis: dicunturq; municipes, quasi munerum participes, sed nunc abusivè municipes dicuntur cujusq; civitatis cives, sive in eadem civitate nati, sive à Municipe ordinario adoptati, sive muneris cum populo Rom. participes, sive non sint *l. 1, ff. Municip.*

Ad L. XIX.

Labeo libro primo Prætoris urbani definit; quod quædam agantur, quædam gerantur, quædam contrahantur. Et actum quidem generale verbum esse, sive verbis, sive re quid agatur, ut in stipulatione, vel numeratione: Contractum *autem ultrò citroq; obligationem, quod græci συνάλλαγμα vocant, velut emtionem-venditionem, locationem, conductionem, societatem:* Gestum *rem significare sine verbis factam.*

QVæ sit differentia inter *Actum*, *Contractum & Gestum*, Ulpianus ex Labeone *lib. 1. Prætoris urbani. sive ad edictum prætoris urbani.* definit sive tradit: Et *actum* quidem generale verbum esse, sive verbis, sive re quid agatur. Sic etiam Ulpianus *in l. 1. §. 3. de pact.* conventionis nomen generale esse adfirmat. Quod enim ibi conventionem Ulpianus dixit; illud idem Ulpianus *h. loc.* ex Labeone appellat actum *d. l. 1. verb. agunt.* Conventionis igitur sive actus nomen generale est, sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu quid agatur. Nam ad solam stipulationem & numerationem, Actus nomen accommodare velle, vox illa, *generale*, non patitur. Omnis verò conventio sive actus, prout in hoc loco accipitur, vel contractus est *d. l. 1. verb. contrahendi.* vel pactum, *d. l. 1. verb. transigendi.* Cui consequens est, stipulationem, mutuum, contractus propriè dici: cum & inter cō-

tractus proprios ab Imperatore & JCto Cajo recenseantur; & contractibus propriis stipulatio in *d. l. 1. de pact.* adnumeretur. Ab hac generalitate primum excerpit specialissimum, eidemq; nomen speciale contractus assignat. Definit itaq; *contractum* esse ultro citroq; obligationem. *Ultro citroq;* idem est, ac si diceretur, negotium sive causam habens, qua nimirum quid fit & agitur *l. 7. de pact. l. si in area 33. ff. de condict. indeb. §. igitur Instit. de oblig. ex quasi contract.* Quo ipso contractus differt à nudo pacto, seu ea conventione, quæ nullum negotium habet *d. l. 7. in pr. & §. 1. de pact.* unde pactum definivit Ulpianus *in d. l. 1. de pact.* quod sit duorum pluriumvé in idem placitum consensus, vel conventio, h. e. nihil aliud est, quàm consensus vel conventio, quæ placiti fine tantùm stetit, neque traditione aut stipulatione effectum aliquem sumsit, ut interpretatur D. Cujatius *in parat. ff. de pact.* Si verò quid fiat vel agatur obligandi causa: Quod ita fit & agitur, ultro citroq; fieri dicitur, & negotium vocatur. Additur præterea, *quod græci συνάλλαγμα vocant.* Quod scilicet actu gestiq; genus, vocant græci συνάλλαγμα, quod nihil aliud significat, quàm commutationem & contractum: derivatur enim à σὺν, quod est cum vel simul, & verbo ἀλλάττω, h. e. muto, seu ἀλλάττομαι commercia exerceo.

Gestum deniq; Labeo ait esse rem sine verbis actam, ut pecuniæ numerationem, vel rem ex quasi contractu, ut negotiorum gestorum, tutela gesta, *l. 1. l. 5. §. gessisse ff. administ. tut. Cujat. ad h. l. n.* Gestum itaq; propriè generalius est contractu propriè sum-

to. Et quia gestum sit sine verbis; stipulatione non dicetur propriè quid gestum, sed tantùm actum *l.2. §.fin.de reb.cred.* Differunt itaq; hæc tria sicut genus & species. Actum latius patet, quàm gestum esse; & hæc utraq; latius patent, quàm contractum esse. Quid inter factum & gestum intersit, dicetur *inf. ad L. licet 58. h. tit.*

AD L. XX.

Verba contraxerunt, gesserunt, *non pertinent ad testandi jus.*

ALiud quidem est contractus, longè aliud est testamentum. Et tamen quia legatarij cum testatore contrahere videntur, & in testamentis geri aliquid extra omnem est controversiam; dubitari poterat, an verba hæc, *contraxerunt*, *gesserunt*, ad testandi jus referri possint? Verùm cum constet, propriè loquendo, nullum negotium legatarios cum testatore gerere *§.4. Instit.de obligat.quæ ex q.contract.* Et verò etiam testamentum unius & solius testatoris sententia, placitum & voluntas sit; rectè Ulpianus *hic* verba hæc, *contraxerunt*, *gesserunt*, ad jus testandi pertinere negat. His itaq; vocabulis, *actum*, *contractum*, *gestum*, tantùm actus viventium, non etiam morientium significari voluit. Testator namq; in suo ultimo elogio nemini sese obligat, à quo ipse conveniri possit: cum ambulatoria sit ejus voluntas usq; ad mortem *l.cum hic status 32. §. pœnitentiam 3.ff. de donat. int. vir.& uxor. l.4. de adim. legat.* Unius insuper testamentum voluntate fit; contractus autem est duorum. Atq; hinc discendum est; licet argumen-

mentum à contractibus ad ultimas voluntates frequens, & in jure necessario plerunq; concludens sit *tot. tit. Instit. de L. Tusia Canin.* tamen hoc non procedere, si rationis diversitas aliud suadeat. Hinc minor res suas per contractus non alienat; at testamentum jure condit §. *præterea Instit. Quibus non est perm. fac. testam.* §. *fin. Instit. Quib. manumitt. non licet.* adeò ut solus faciat, neq; debeat, neq; possit curatoris consensum autoritatemque, sicut in contractibus, adhibere *l. à qua ætate ff. Qui testam. fac. poss.* cum id minimè ex alterius autoritate & voluntate pendere possit *l. qui in potestate 6. ff. d. tit. l. illa ff. de hered. instit.*

AD L. XXI.

Princeps bona concedendo, videtur etiam obligationes concedere.

QVemadmodum deportationis nomen ipsum per se, omnium rerum spoliatio est: ita indulgentiæ restitutio bonorum ac dignitatis uno nomine amissorum omnium sit recuperatio, inquit Constantinus Imperator *in l. 3. §. fin. C. de sent. pass.* Ex quo rescripto facilè intelligitur, quid Paulus hoc loco sibi velit; Principem nimirum restituendo deportatum, bona omnia ei concedere, &, per consequens, obligationes & actiones. Ratio ejus juris est: quod Actiones in bonis sint *l. rem in bonis ff. de acquir. rer. dom.* habentq; causam dependentiæ, nempe dominium vel obligationem. Adeoq, si Princeps bona concedendo referat se ad illa, quæ fuerunt ante capitis diminutionem, non ad singula, sed ad universa; consequens est, ut tàm passivas, quàm activas obligationes concessisse videatur *l. 3. de sentent, paß, l. 4. C. eod.*

AD L. XXII.

Plus est in restitutione, quàm in exhibitione.
Nam exhibere *est præsentiam corporis præbere:* restituere *est etiam possessionem facere, fructus reddere: pleraq; præterea* restitutionis *verbo continentur.*

Plus *est in restitutione, quàm in exhibitione*: hoc est: major est *restitutionis* effectus, ratione ipsius rei, causæ, modi, accessionum & similium, quàm *exhibitionis*: & plenior est restitutio in integrum, quàm ad exhibendum actio *l. fin. inf. h. tit.* Ratio subjungitur. *Nam exhibere est præsentiam corporis præbere* (h.e. inspiciendi tangendiq; copiam facere,) *restituere est etiam possessionem facere*, (non solum videndi tangendique, verùm etiam abducendi, habendi & possidendi facultatem præstare *l. restituere 35. l. restituere 75. inf. cod.*) *fructusq́;* (h. e. omne emolumentum & commodum, quod ex re restituenda superest *l. sed & partus 12. l. item si 14. §. quadruplatur ff. Quod met. caus.*) *reddere. Pleraq́;* (alia nimirum) *præterea restitutionis verbo.* (puta, ut caveatur rem deteriorem factam non esse; dolum malum abesse, &c. continentur. Ita hæc verba interpretanda arbitratur Goddæus *h. loc.* Licet itaq; promiscuè usurpetur exhibere & restituere *l. Julianus 9. §. quantum 5. cum §. seq. ad exhib.* Decisivè tamen *restituere* significat rem & causam cum fructibus & omni accessione in actorem transferre *l. restituere 35. & l. 75. inf. h. tit.* Exhibere autem est præstare ejus, de quo agitur, præsentiam, & videndæ, tangendæ rei copiam facere .2. *ad exhib.* Itaq; plus est restituere, quàm exhibere.

AD

AD L. XXIII.

Rei appellatione & causæ & jura continentur.

REi nomen esse transcendens, nemo ignorat. Hoc autem loco *res* significat causam : quæ causa consistit in modis acquirendi dominij, & obligationibus §. *fin. Inst. di usu & habitat. de quibus agitur lib. 2. & lib. 3. itemq; lib. 4. usq; ad tit. 6.* Causa etiam est ejus rei quæ petitur qualitas & utilitas, quæ circa eã est: Et *vel in rebus ipsis* est, utputa, bonitas, salubritas, immunitas, libertas: *vel manat à rebus ipsis*, ut partus ex ancilla: vel deniq; manat à rerum accessionibus, ut fœtus secundus ex fœtu primo *l. equus 8. de usur.* Jura hic sunt, dominium, obligatio, & eorum species. Res itaq; quæ scilicet recipitur, & restituenda est, *de qua in l. 1. §. ait Prætor ff. nautæ caup. stabul.* non solum est ipsum nudum, quod traditur, corpus; sed etiam causa (qua quid in ea re meum est) & jus, puta, jus pignoris & hypothecæ, legati, & jus obligationis & actionis, & si quæ sunt alia *l. pen. ff. si serv. vindic. Godd. ad h. l. n. 1.*

AD L. XXIV.

Nihil est aliud hereditas, quàm successio in universum jus quod defunctus habuit.

HEreditas nihil est aliud, ait Cajus, *quàm successio*, h. e. titulus & causa seu modus acquirendi: *in universum jus*, h. e. patrimonium *l. hereditas ff. de acquir. rer. dom.* quod *habuit defunctus*, cum sc. moveretur *l. heredem ff. de reg. jur.* Hereditas itaq; non res ipsas

denotat, sed jus succedendi universale *l. bonorum 208. h. tit.* adeoq; est nomen juris; sine ullo corpore, juris intellectum habens *l. hereditatis 119. l. pecuniæ 178. §. hereditas 1. inf. eod.* Et quidem hereditas surrogatur in locum defuncti, ejusq; personam fictè repræsentat *l. legatum 116. §. serv. 3. de legat. 1.* Quia enim domino mortuo etiam dominium stricta ratione evanuit, & res ejus in nullius bonis sunt; idcircò utilitatis gratia placuit, ipsum dominium etiam post mortem domini durare, &, ne accidens sine subjecto esse videretur, ipsam quoque defuncti domini personam repræsentare: quale dominium deinde hereditas dici cæpit *l. hereditas 34. de acquir. rer. dom. Hotom. 3. observ. 19.*

AD L. XXV.

Rectè dicimus, eum fundum totum nostrum esse, etiam cum usufructus alienus est: quia ususfructus non dominij pars, sed servitutis sit: ut via, & iter. Nec falsò dici totum meum esse, cujus non potest ulla pars dici alterius esse. Hoc & Julianus, & est verius.

CAjus in fundo suo usumfructum constituit Mævio: at quia ususfructus constituti jure, omne emolumentum fundi Mævius percipit *l. usufructu 7. ff. de usufr.* exinde quærebatur, an fundus adhuc totus possit Caji dici? Paulus verò *in h. l. n.* regulam ponit; Adhuc rectè dici, eum fundum totum nostrum esse, etiam cum ususfructus alienus est. Argumentum ducitur primò à natura rei seu fundi ipsius: *Nam falso dictum est, totum meum esse, cujus non potest ulla pars dici alterius esse.* Atqui nulla pars est usufructuarij:

quippe quod percipiendo fructus suos tantum faciat, qui non sunt pars fundi *l. in ædibus 9. §. 1. de donat.* cum & sine fructibus fundus constet; totum autem sine partibus nequaquam *arg. l. 1. de orig. jur. l. si cui 58. de legat. 2.* Alterum argumentum est à jure rei. Jus quo res aut fundus noster dicitur, est dominium. *Ususfructus autem non est pars dominij h. l. nost.* Dominium refertur ad fundum ipsum, de quo hic agitur: jus fruendi, ad fructus, qui non sunt pars fundi sive species dominij proprietatis *Cujat. & Godd. ad h. l. n.* Tertium argumentum & ultimum sumptum est ab autoritate Jurisconsulti Juliani; cujus autoritas magna ob singularem juris peritiam, & confectum ab ipso opus edicti perpetui *Forster. lib. 2. hist. jur Rom. cap. 73.*

AD §. I.

Quintus Mutius ait, partis appellatione rem pro indiviso significari, nam quod pro diviso nostrum sit, id non partem, sed totum esse. Servius non ineleganter partis appellatione utrumq; significari.

PAulus JCtus *in præcedenti lege 25.* egit de vindicando fundo, in quo alteri usus fructus fuit constitutus. Quæsitum fuit, an ejusmodi fundus, veluti totus, rectè vindicetur? & respondet Paulus, rectè totum fundum dici, adeoq; ut totum rectè vindicari. At potuisset quis ex sententia Q. Mutij Scevolæ objicere; Imò, quia usus fructus, divisus à proprietate, adeoq; pro diviso quasi possidetur, hunc ut aliquod totum per se considerandum. Ad quam objectionem removendam utitur Paulus autoritate Servij

Sul-

Sulpitij: *Is non ineleganter, partis appellatione, utrumq;* (sive pro indiviso, sive pro diviso usus fructus quasi possideatur) *significari dixit.* Neq; obstat, quod res individua non videtur recipere partes *l. ult. de serv. leg. l. si is 80. §. quædam legata 1. ad L. Falcid.* Quia in servitutibus, excepto usufructu, speciale hoc est, ut etiam pro indiviso possessæ nullas partes recipiant *l. stipulationes non dividuntur 72. in pr. de verb. oblig. l. pro parte 11. l. servitutes 14. l. viæ 17. de servit.* Ratio specialitatis est; quia ea servitutum natura & conditio est, ut partes ex illis factæ nullam planè adferant utilitatem; cum utilitas illarum in solo & nudo usu consistat. Cui bono esset, servitutem eundi per prædium, intellectu in partes indivisas secerni, cum non nisi in solidum ire, ambulare possit is, cui debetur *l. ea quæ in partes 192. de reg. jur.*

Ad L. XXVI.

Partum non esse partem rei furtivæ, Scævola libro undecimo quæstionum scribit.

Fœtus pecorum est: partus etiam hominum *§. in pecudum 37. Inst. de rer. divis.* Hinc quæritur: An partus rei furtivæ, hoc est, matris furto surreptæ pars esset? Scævola respondet, pro negativa; partum scilicet non esse partem rei furtivæ. Partus itaq; ancillæ, licet in fructu non sit, nec tamen ipse est pars ancillæ, quia ancilla ex partu non constat. Partus totum per se est, & proprio suo jure censendus. Sed dicat aliquis; Imò antequam partus edatur, matris portio est vel viscerum *l. 1. §. ex hoc rescripto ff. de ventre inspic.* At cum fœtus suam ipse habeat animam, non

non poteſt verè portio matris dici, ne duæ formæ unius corporis ſtatuantur *Scalig. 6. Exercit. ſect. 13.* Aliàs quidem pars matris dicitur antequam edatur, quatenus ineſt matri, & in viſceribus ejus latet, ſicut dicimus cereviſiam in canthαro eſſe partem canthari. Et hoc pertinet ad quæſtionem: an partus ancillæ furtivæ uſucapi poſſit? *de qua in l. ſi aliena 10. de uſucap. l. 4. §. heres 15. & ſeqq. eod. l. qui vas 48. §. ancillæ ſ. de furt.*

AD L. XXVII.

Ager eſt locus, qui ſine villa eſt.

QVæſitum hic eſt de fundis vectigalibus. Cum autem vectigal non cujusq; prædij & loci, ſed fructuum, & indè naſcentium onus ſit; rectè Ulpianus hic reſpondet: *Agrum eſſe locum, qui ſine villa eſt.* Quo ipſo ſeparat agrum à villâ. *Ager* enim, teſte Varrone, ab arando, ſive vertendo & agendo nomen accepit; quia ſemper aliquid in eo fructus capiendi cauſa ſit & agitur. *Villa* verò eſt domus ruſtica, in quam fructus invehuntur ac reponuntur, ſic dicta à vehendo, quaſi vehilla *l. fundi 211. h. tit.* Ex ipſa villa ergò fructus non colliguntur, ut præſtationem vectigalis recipere, atq; ager vectigalis vocari poſſit. Quinimò ſi villa ſit in fundo, prædium erit *d. l. fundi l. quæſtio 115. h. tit.* & villa non pars agri, ſed acceſſio ejus erit *Paul. libr. 3. ſentent. tit. de legat. ſ. villis.* Aliàs agri appellatione continetur fundus, & quicquid extra civitatem eſt, nihilq; prohibet, eum cum villa eſſe. Erantq; in agris ſenatores, vixerunt etiam multi nobiliſſimi Philoſophi in agris, nimirum non ſine

ſine villa & habitatione *Valla lib.6. elegant. 41. l. jus dandi 3. de tutorib. & curatorib. datis ab his l. pupillus 239. §. incola 2. h. tit.*

AD §. I.

Stipendium à ſtipe appellatum eſt, quod per ſtipes, id eſt modica æra colligatur. Idem hoc etiam tributum appellari Pomponius ait: Et ſanè appellatur ab intributione tributum, vel ex eo, quod militibus tribuatur.

INter ſtipendium & tributum, proprietate verbi, nullam eſſe differentiam *hic* docetur, authoritate Pomponij, & utriusq; verbi notatione. Etſi enim *ſtipendium* à re quæ contribuitur, nomen ſumpſerit, à ſtipe ſcilicet: *tributum* vel à facto contribuendi, aut à fine, dum militibus tribuendum contribuitur: tamen *& tributum* per ſtipes, id eſt, modica æra à ſingulis civibus colligebatur: *& ſtipendium* contribuebatur militibus ſolvendum *Tacitus libr. 1.* Quin & ex Cicerone, Livio & Gellio, itemq; Plinio notiſſimum redditur, & *ſtipendium* & *tributum* olim indifferenter id appellatum fuiſſe, quicquid in publicum colligebatur, ut ex eo miles Reipublicæ ſuſtentaretur. Poſtremò ſubjicitur *hic*, tributum dici ab intributione collationum, vel quod militibus tribuatur. Igitur licet ſit ſubtilis quædam differentia inter ſtipendium & tributum, tamen Ulpianus docet eam non utiq; ſemper obſervari *Cujat. ad h. l.*

AD L. XXVIII.

Alienationis verbum etiam uſucapionem continet. Vix eſt enim, ut non videatur alienare, qui patitur uſu-

usucapi. Eum quoq; alienare dicitur, qui non utendo amisit servitutes. Qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare: veluti, qui hereditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur.

ALienare nihil aliud est, quàm rem vel jus quoddam ejusdem possessionem è suo patrimonio sive bonis dimittere. Hoc ipsum JCtus *hoc loco* exemplis ostendit: Sic enim ait: *Alienationis verbum etiam* (quasi dicat, non solum alienationis verbum significat rem possessionemvé animo transferendi, & à se abdicandi tradere §. *per traditionem Inst. de rer. div.* verùm etiam) *usucapionem continet.* Subjicit ergò: *Vix enim est*, ait, *ut non videatur alienare*, (h. e. nullo modo videri potest non alienare) *qui patitur usucapi. Eum quoq; alienare dicimus* (h e. alienat) qui non utendo *amisit servitutem.* Aliquid enim rerum suarum, vel ejus quod in bonis erat, amisit *l. rem in bonis ff. de acq. rer. dom.* sequitur: *Qui autem* (explicat enim per dissentanea) *occasione acquirendi non utitur*, h.e. non acquirit quod acquirere potuisset, *non intelligitur alienare*, quia nihil de suo dimittit; *veluti qui hereditatem* sibi delatam, *omittit* repudiando *l. 15. qui 13. ff. de acquir. hered.* vel non adeundo *tit. C. de repud. hered.* sequitur: *aut optionem* legatam vel donatam, *intra certum tempus* à Prætore decretum *non amplectitur* h.e. qui intra præstitutum tempus optione non utitur *l. 6. l. 8. de opt. legata.* Non, inquam, intelligitur alienare: quia scil. non ipsius fuit quicquam quod possit videri transtulisse. Etenim si non nuda sit occasio acquirendi, sed simul ipso jure domini-

minium transferat, ejus repudiatio rectè dicetur alienatio *l. magis puto 5. §. fundum 8. ff. de reb. corum. Alciat. & Godd. ad h. l. nost.*

AD §. I.

Oratio quæ neq; conjunctionem, neq; disjunctionem habet ex mente pronunciantis, vel disjuncta, vel conjuncta accipitur.

QVæstio est, quomodo oratio dissoluta, quæ neq; disjunctionem neq; conjunctionem habet, sit interpretanda? Et respondet Paulus JCtus, vel ut disjunctam, vel ut conjunctam, esse accipiendam, ex mente pronunciantis. JCtus autem *hoc loco* non de eo respōdet, quod certam suam habet determinationem, puta, si de voluntate disponentis constet, quippe quod tunc simul etiam constet, sit ne oratio conjuncta vel disjuncta; sed respondet de eo quod in dubio, adeoq; ex ratione juris decidendum est. Quo casu statuendum id est ex mente, ut JCtus loquitur, pronunciantis, qui tacitè alterutrum posuit, quod in dubio, à juris interprete ex re ipsa & circumstantiis dijudicandum est. V. G. Si testator legasset annua centum Seio, si studiorum gratiâ Paduam, Lugdunum, Witebergam adierit: hanc orationem pro disjuncta accipiemus, ex probabili mente testatoris; quia vel Paduæ, vel Lugduni, vel Witebergæ voluit Sejum optimarum literarum studiis incumbere: cum sit impossibile in longè abs se invicem dissitis locis, quem simul & semel esse posse. Sin autem dixit; Publius, Marcus, Cajus heredes sunto; hanc orationem pro conjuncta accipimus; quia breviter videtur

tur testator tres heredes instituisse *l. cum in testamento 37. de hered. instit.* Quod si de proferentis mente non apparet, oratio soluta pro conjuncta in dubio accipitur *Albert. Gentil. ad l. sæpe ita 53. h. tit.*

AD L. XXIX.

Conjunctionem enim nonnunquam pro disjunctione accipi, Labeo ait; ut in illa stipulatione, mihi heredíq; meo, te heredémq; tuum.

HOc loco JCtus addit rationem eorum, quæ in *præcedenti lege* §. *fin.* dixerat: argumentum ducens ab expresso ad tacitum. Expressa conjunctio quandoque pro disjunctione accipitur. Ergò & tacita. Expressa conjunctio pro disjunctiva accipitur, primò, ratione ordinis, ut in exemplo à JCto proposito. Nemo enim heredem nisi decesserit. Igitur, qui sibi herediq; stipulatur, necessariò ordinem præsupponit, ut vel sibi detur, vel si hoc non potest esse, heredi. Deinde expressa conjunctio pro disjunctiva accipitur, relatione habita ad aliud, *de quo apud Wesenb. vol. 4. consil. 127. n. 21. 22. & 23.*

AD L. XXX.

Sylva cædua *est, ut quidam putant, quæ in hoc habetur, ut cæderetur. Servius, eam esse, quæ succisa, rursus ex stirpibus & radicibus renascitur.* §. 1. Stipula illæ *est spicæ in messe dejectæ, nec-dum lectæ, quas rustici cum vacaverint, colligunt.* §. 2. Novalis *est terra præcissa, quæ anno cessavit, quam Græci νέαλιν vocan*[illegible] 3. Integra *autem est, in quam nondum dominus pascendi gratia pecus immisit.* §. 4. Glans *caduca est, quæ ex arbore cecidit.* §. 5. Pascua Sylva *est, quæ pastui pecudum destinata est.*

PErtinet hæc lex ad uſufructuarium, qualiter uſufructu utatur, rectè & fructus ſuos faciat: quæ quæſtio per quinque exempla hic reſolvitur. 1. Sylvam nimirum cæduam. 2. Stipulam illectam. 3. Novalem. 4. Terram integram. 5. Glandem caducam. 6. Paſcuam ſylvam. Singula paucis repetemus.

Sylva, inquit Cajus, *cædua eſt, ut quidam putant, quæ in hoc haberetur ut cæderetur.* Servius hoc non negat, ſed quaſi inſufficienrem deſcriptionem ſupplet. Non enim ſatis eſt, ſylvam in hoc haberi, ut cædatur, niſi etiam ex ſtirpibus & radicibus repullulet; cùm non niſi ſemel cædi poſſet. Talis itaque erit definitio: *Sylva cædua eſt, quæ in hoc habetur, ut cædatur, & ſucciſa ex ſtirpibus radicibusq; repullulet, ac renaſcatur Godd. ad h. l. n. 3.*

Stipula illecta ponitur ſecundo loco. *Stipula* frumenti calamus eſt ſeu culmus, quo ſpica grana continens, ſuſtinetur. Stipulam dejectam agricola acervatim imprimis colligit, nec ſingulas temporis redimendi perſequitur. Otio autem nacto, quicquid in agro remanſerat, minutim legit, non propter ſtipulas, ſed propter grana, quæ in ſpicis ſunt. Inde ſtipulam illectam dicit eſſe, ſpicæ in meſſe dejectæ, nondum lectæ. *Godd. h. loc. n. 7.* Nec moveat quem, quod ſingularem numerum ſpicæ excipiat pluralis. Hoc enim non eſt infrequens apud Latinos *Virgil. 8. Æneid. Terent. in Eun*[illegible]*h. act. 1. Scena* 2.

Novalis eſt terra [illegible]*æſciſſa.* h.e. nunc ante, ſuperiore nempe anno, aratro cæſa & ſciſſa; *quæ anno ceſſat,* h.e. alternis annis ceſſare ſolet. Et ſic Novalis dicitur à novando, illa terra, quæ anno ſuperiori ceſſa-

vit

vit & nunc proſciſſa eſt, ut ſc. ſeratur *Valla 6. elegant. 42.* vel, *ut Feſtus loquitur*, novatio ex eo dicitur, quod ager intermiſſus renovetur, alternis ſc. annis. Qui igitur novalis terræ uſumfructum habet, non poteſt ſingulis annis, ſed ſaltem alternis eam colere ac proſcindere *Godd.h l.n.10. in fine.*

Integram terram, ſive integrum paſcuum, definit terram, in quam pecus nondum eſt depaſcendi gratia immiſſum. Integrum itaque illud eſt, quod naturam ſuam primævam obtinet, aut ad eum redactũ eſt *l. ſi unus 27.§. pactus ne peteret 2. de pact.* Quocirca cum dominus quotidie animum mutare potuerit, & in alium uſum eam habere, rectè dicitur integra. *Godd. h. l.*

Glans caduca eſt, non quæ cadere poteſt, qualiter glandes omnes caducæ dici poſſunt: ſed quæ cecidit; ut non ad potentiam referatur, ſed ad actum. Cæterum glandis appellatione omnis fructus continetur *l. qui venenum 236. § 1. h. tit.*

Paſcua Sylva eſt quæ paſtui pecoris deſtinata eſt, ſive, quæ paſcuis pecudum, puta, ſuum, ovium & aliorum deſtinata eſt. Et quidem cum glandibus paſci homines deſierint, nec in ſylvis, ut primitus fecêre & *Valla 4.eleg. cap. 53.* amplius degant; JCtus generale vocabulum reſtringit ad paſtum pecoris. *Coler.2 deciſ. 286. num. 44.*

AD L. XXXI.

Pratum eſt, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus eſt: ex eo dictum, quod paratum ſit ad fructum recipiendum.

PRatum dici notat JCtus, ab eo, quod paratum sit ad fructum percipiendum. Etsi enim sint alij agri, qui bonitate sua superent prata, quales sunt vineæ, oliveta, & cæteri agri: tamen isti magnam hominis industriam requirunt, & ad fructum ex iis percipiendum magno labore opus est; quod non est in pratis, in quibus ad fœnum percipiendum unicum illud falcis instrumentum sufficit, adeoq; fertilitatem sine curâ, vel certè illa exigua adfert, estq; annis singulis pratum ad hoc paratum, ad fœnum ex eo falce duntaxat percipiendum. *Cujat.9.obs.17. Godd. ad h. l.*

Ad L. XXXII.

Minus solutum intelligitur, etiamsi nihil esset solutum.

SI ita à te stipulatus fuero: Quantò minus à Titio consecutus fuero, tantum dare spondes? non solet dubitari, quin si nihil à Titio fuero consecutus, totum debeas, quod Titius debuerat *l.si à te 150.h.tit.* Ratio est *in hac lege quod minus solutum intelligatur, & si nihil esset solutum.* Particula *minus* licet vim comparandi habeat; hic tamen comparatio non in verbis, sed in re est: non comparatur cum parvo, sed cum toto quod minuit: minuit autem, maximè si ei nihil relinquat *l. illud 7. §. 2. de tribut. act. l. amissi 52. de fide instrum. l. fin. de reb. cred. Godd. h. n.6.*

Ad L. XXXIII.

Palam est coram pluribus.

COram aliquo facere, est in præsentia alicujus facere *l. coram 200. h. tit.* etiam unius vel alterius

Cujat.

Cujat. ad h. l. Palam facere, est coram pluribus facere *h.l.n.* Palam est, si fiat eo animo, ut in noticiam aliorum res veniat *l. sed si pupillus 11. §. proscribere 3. de exerc. act.* Generaliter palam factum videri potest, quod coram duobus vel tribus factum est: nam numerus pluralis est duobus contentus *l. ubi numerus ff. de testib.* nisi negotij natura plures requirat *l. heres 21. Qui testam. fac. poss. l.1. §.9. de vi & vi arm. Godd. h.*

AD L. XXXIV.

Actionis verbo etiam persecutio continetur.

PErsecutio est extraordinaria, & ab actione differt, ut olim in fideicommissorum petitione *Ulp. in fragmentis tit. 25. de fideicommissis.* At generaliter acceptâ voce actionis, persecutio continetur *h. l. n. & l. pecuniæ 178. §. actionis 2. h. tit. Latè Godd. h. l.* Propriè autem persecutio ad extraordinarias persecutiones, puta, fideicommissorum pertinent *d. l. pecuniæ §.2. h. tit.*

AD L. XXXV.

Restituere autem is intelligitur, qui simul & causam actori reddit, quam is habiturus esset, si statim judicij accepti tempore ei reddita fuisset, id est, & usucapionis causam & fructuum.

REstituere, inquit Paulus, *is intelligitur* (ut judicati actionem effugiat) *qui simul & causam* (unà cum ipsa re *l. plus est 22. sup. eod.*) *actori* (& petitori *l. actionis l. actionum ff. de oblig. & act.*) *reddit*, (retrò dat, seu retrò statuit) *quam is* (petitor sive actor) *habiturus esset, si statim judicij accepti tempore* (hoc est, cum

lis contestaretur *l. vinum. de reb. cred.*) *reddita fuisset*, id est, *& usucapionis causam & fructuum*, hoc est, usucapiendi, utendi fruendiq; jus ac potestatem, unà cum perceptis fructibus, & interdum iis etiam, qui percipi potuissent *l qui restituere ff. de rei vendicat. Godd. h. l.*

Ad L. XXXVI.

Litis nomen omnem actionem significat, sive in rem, sive in personam.

Lis & actio quidem differunt. Actio namque est jus persequendi. Lis est res in judicium deducta *l. 1. C. de litis contestat. l. 1. de in litem jurand.* nec est ante litis contestationem *l. 1. §. 1. de litig.* At hoc in loco lis generaliter accipitur, *pro quavis actione, sive in rem, sive in personam.* Specialius usurpatur pro materia actionis de re, quæ in lite versatur. item pro instantia *l. properandum 13. C. de judic.*

Ad L. XXXVII.

Verbum oportet, *non ad facilitatem judicis pertinet, qui potest vel pluris vel minoris condemnare; sed ad veritatem refertur.*

In actionibus personalibus actor intendit adversarium sibi *dare facere oportere*: In realibus, *possessorem restituere oportere rem* quam detinet *§. 1. Instit. de act.* Sed quomodo verbum *oportere* accipimus, utrũ ita ut adversarius det vel tradat quod judici videbitur; an verò quod in rei veritate dandum & tradendum est? Et quidem JCtus hoc loco definit *oportere* ad veritatem referendum esse. Procedunt hæc, si

ipsam

ipsam verbi *oportere* proprietatem consideres. Nam aliàs judicem vel pluris, vel minoris condemnare plùs quàm manifestum est *h.l.n.Godd.& Cujat.ibid.*

AD L. XXXVIII.

Ostentum Labeo definit, ***omne contra naturam cujusq; rei genitum factumq;.*** *Duo genera autem sunt ostentorum:* unum, *quoties quid contra naturam nascitur; tribus manibus fortè aut pedibus; aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria est;* alterum, *cum quid prodigiosum videtur; quæ Græci φάσματα vocant.*

OStentum Labeo definit, omne *(scilicet animal) contra naturam cujusq; rei* (seu generis) *genitum* (& procreatum) *factumq;.* Pergit: *Duo genera autem* (h. e. subalternæ species) *sunt ostentorum: unum, quoties quid contra naturam* (h.e. contra naturæ consuetudinem) *nascitur*, veluti si quis *tribus manibus fortè aut pedibus aut qua aliâ parte corporis* geminata aut interpolata, *quæ naturæ contraria est: alterum, cum quid prodigiosum*, h.e. monstrosum *videtur*, h. e. cujus forma est in aliam speciem mutata, & quasi prodigium naturæ, quæ suiipsius oblita videtur: *quæ* (prodigiorum genera) *Græci φάσματα vocant*, eò quod videnti apparent, dicendo indicantur; Sicut apud latinos monstra & ostenta à monstrando & ostendendo dicta: & *φάσμα* hoc ipsum est quod ipsum videmus, seu visus objectum, ab apparendo vel indicando dictum *Godd. ad h.l.n.4.&3.seqq.* Generale igitur vocabulum est ostentum, quod & seipsum in specie, & monstrum seu prodigium, tanquam alteram speci-

em, comprehendit *h.l.* & *l. quæret aliquis 135. h. tit.* De quibus latè tractat Goddæus *ad h.l.n.8.* & *seqq.*

Ad L. XXXIX.

Subsignatum dicitur, quod ab aliquo subscriptum est: nam veteres subsignationis verbo pro adscriptione uti solebant.

LIcet aliud sit subsignare, aliud adscribere se, ita quidem, ut duo illa tanquam diversa ponantur. Et testamenta quæ non tantum adscriptionem, sed & subsignationem testium requirunt, si alterutro destituantur, omninò nulla sint *l. ad testium* §. 4. *ff. Qui testam. fac. poss* Tamen veteres subsignatum pro adscriptione quandoq; dixerunt; quia ic. possunt unius vocabuli plures esse significationes; & ex iis aliæ etiam impropriæ & abusivæ, *ut hic* & *arg. l. licet inf. h. tit.* Quin & JCtus *in l. Sempronius* §. *conductores ff. de jure immun.* res subsignatas pro obligatis dixit. Hoc benè notandum: quod in chirographo, subsignatio h. e. subscriptio & adscriptio in præscripti fidem, sit de chirographi substantia, *per hunc text.* Quin & sigillum publicum sine subscriptione fidem non facit, nec per se quidquam loquitur, sine subscriptione, sed habetur pro teste muto ac incerto *Wesenb. consil. 12. n. 50.* & *seq. Godd. ad h. l. nost.*

Ad §. I.

Bona intelliguntur cujusq;, quæ deducto ære alieno supersunt.

NOn una est significatio bonorum. Interdum ponuntur pro jure succedendi, veluti hereditas *ut*

l. nihil

l. nihil est alud 24. h. tit. Deinde interdum strictius accipiuntur pro eo, quod in substantia patrimonij sive bonorum cujusq; est *l. bonorum 208. eod.* & unam etiam rem, quæ in bonis est, denotat *l. 2. §. vel cujus bona ff. de vi bon. rapt.* Hac significatione bona cujusq; intelliguntur, quæ deducto ære alieno supersunt, *ut hic respondetur*, vel quantum pecuniæ ex bonis refici possit, *uti respondetur in l. tantum quisq; inf. h. tit.* Naturaliter enim bona ex eo dicuntur, quod beent, h.e. beatos faciant. Beare autem est prodesse *l. 49. inf. h. tit.*

AD §. II.

Detestari est absenti denunciare.

DEtestatio est denunciatio, facta cum testatione *l. 40. in pr. eod.* h. e. Detestatio est denunciatio, quâ quis per scripturam testatò, h.e. convocatis testibus, sententiam suam declarat, ut rectè hoc loco Paulus scripserit; *Detestari est absenti denunciare.* Forma itaq; detestationis consistit in eo, quod non præsenti, sed absenti fiat: quia non præsenti, sed absenti detestamur. Quinimò hæc detestatio in hoc absenti fit, ut constet palam, ejus latitationem displicere & abominari *Godd. ad h. l.*

AD §. III.

Incertus possessor est, quem ignoramus.

INcertus possessor dicitur non respectu suiipsius, quo intuitu nemo omninò incertus est possessor, sed respectu nostri, quia nobis incertum esse potest, quis possessor sit; sive per rerum naturam

ut in *l.* 1. *§. fin. ff. si pars hered.* sive per nostram ignorantiam *l.* 4. *§. totiens* 6. *de damn. infect.* quæ tolerabilis, utpote facti alieni *l. fin. ff. pro suo.*

AD L. XL.

Detestatio est denunciatio facta cum testatione.

ALciatus *detestationem* interpretatus est protestationem *h.l.* quod est animi sui sententiam dicere *l. Nesennius ff. de negot. gest.* item reclamare & intercedere, quo minus quid fiat Canonistæ *ad c. cum qui Ext. de dolo & contumac.* Sed interpretationem hanc rejicit Goddæus *ad h.l. num.* 4 maximè cum pronunciatio non sit denunciationis species, ut apud Alciatum videre est. Sed & principium legis modò explicatum est *in l. præcedenti* §. 2.

AD §. I.

Servi appellatio etiam ad ancillam refertur.

SErvi appellatione non solùm masculum servum, sed etiam fœminam ancillam comprehendi Ulpianus *hoc loco* exponit; Ut si ancilla vi quid rapuerit, in ipsam ea de re noxalis detur actio, non secus ac si servus masculus vi rapuisset. Masculino siquidem genere fœmininus sexus continetur *l.* 1. *sup. h. tit.*

AD §. II.

Familiæ appellatione, liberi quoque continentur.

FAmilia *hoc loco* ministerium seu servitium tàm urbanum, quàm rusticum potius significat, quàm verum

verum dominium *l.2.§.hæc actio verſ.familiæ ff.vi bon. rapt.* Familiæ itaq; appellatio ad eos tantum reſtringit,ut,qui in ſervitio ſunt, qui noxæ dari poſſunt, & dequibus noxaliter agere licet; non etiam ita latè, ut illa appellatione familiæ, liberi noſtri, h.e. filij filiæve in noſtra poteſtate exiſtentes contineantur, & in noſtra familia eſſe dicantur *l.ædiles 25. §. 1. de ædil. edict.* Dicit itaque Ulpianus: *Familiæ appellatione liberi quoq;* (ſubaudi homines bona fide ſervientes *d.l. 2.§.hæc actio) continentur.* plenius tractat Godde.*h.l.*

AD §. III.

Unicus ſervus familiæ appellatione non continetur: ne duo quidem familiam faciunt.

FAmiliæ nomen collectivum eſt, plurium hominum collectionem ſignificans *l. ædiles 25. §. 1. ff. de ædilit. edict. l. pronunciatio §. 1. h. tit.* ideoq; paucioribus quàm tribus conſtitui non poteſt *l.Neratius inf.h.tit.* At cum Prætor in edicto *l.2.ff. vi bon. rapt. & l.1. de incend. ruin. naufr.* ita dicat: *in ſervum & in familiam judicium dabo*: quæritur; an is qui familiam dicit, ſervum dixiſſe videatur; itemque qui ſervum appellat, familiam intellexiſſe credatur? Reſpondet Ulpianus; Prætorem ſeparatim & de ſervo, & de familia edicere voluiſſe, ne quis putaret ſe de unius ſervi rapina vel recepto actionem noxalem non daturum: Siquidem *unicus ſervus familia non dicatur*, ut propter ejus delictum, tanquam de familia, conveniri poſſit. Ratio hic additur: quia *familiam ne quidem duo ſervi conſtituunt*; multò ergò minus

nus unus. Sic itaq; hic locus exponendus est: *Unicus servus* actioni *de familia* non facit locum, quia *familia uno servo non constituitur*: Ratio est: quia *ne duo quidem* (servi) *familiam faciunt*, licet duorum nomine, tanquam de familia, agi possit *l. 7. l. 9. de jurisd. Godd b.*

AD L. XLI.

Armorum appellatio, non utiq; scuta, gladios & galeas significat: sed & fustes & lapides.

ARma primariò sunt præparata ad pugnam, quorum usus principalis *vel ad lædendum* est, ut gladij, hastæ, sclopetæ; *vel ad defendendum*, ut galeæ, clypei. Sed Cajus hoc loco ostendit, etsi pugnæ caussa paratum non sit, veluti sunt fustes & lapides; si tamen in hoc arripiatur, ut eo noceatur, ipso usu arma fieri, & armorum appellatione comprehendi. Arma enim ea omnia dicuntur, quibus defendere nos & nocere possumus *l. armatos 9. ad L. Jul. de vi publ. l. 3 §. quod est 3. §. armis 2. de vi & vi arm.*

AD L. XLII.

Probrum & opprobrium: id est: probra quædam natura turpia sunt: quædam civiliter & quasi more civitatis; utputa furtum, adulterium, natura turpe est: Enimverò tutelæ damnari, hoc non naturâ probrum est, sed more civitatis. nec enim naturâ probrum est, quod potest etiam in hominem idoneum incidere.

DIstinguit Ulpianus *inter probra, quæ natura* h. e. omnium gentium jure, cum aut ratione aut ratiocinatione ipsa infamiam adferant; *& ea quæ civiliter* h. e.

h.e. civili instituto tantùm, *& quasi more* h.e. peculiari consuetudine *civitatis turpia sunt*: & distinctionem eam exemplis declarat. Ex quibus perspicuum fit, quod Prætor *in Edicto de his qui notantur infamia*, eas personas quæ *in l. 1. ff. d. tit.* enumerantur, infamia notari ait, non simpliciter, sed cum distinctione hoc loco tradita accipiendum esse. Nam naturâ probrum committit fur, adulter, stuprator, leno, mulier quæstum suo corpore faciens *l. 41. ff. de rit. nupt.* At civiliter & more civitatis h. e. opinione hominum & bonorum virorum probrum commisisse cẽsetur, qui tutelæ, vel simili judicio damnatus est. Etsi enim omni dolo carere possit, tamen vel ob solam suam negligentiam si condemnetur, apud bonos viros existimatio quodammodò læditur. Hinc igitur consequens est: Probrum esse duplex, aliud naturâ, aliud civili observatione. Ubi hoc notandum: Probrum non esse ipsum delictum: sed facti cujusquam turpitudinem atque infamiam *per hunc text. & l. probrum 41. de ritu nupt. Godd. h. l*

AD L. XLIII.

Verbo victus *continentur, quæ esui potuiq; cultuiq; corporis, quæq; ad vivendum homini necessaria sunt. Vestem quoq; victus habere vicem, Labeo ait.*

DIcat aliquis fortè; victum à vivendo venire: at vivere sine vestitu cultuq; corporis licere, ut in Æthiopia; sine esu potuq; non licet. *Laur. Valla lib. 6. eleg. cap. 56.* Sed Ulpianus hoc loco respondet: Quia victus à vivendo descendit, & multò plura quàm

quàm quæ ad ſolum corporis nutrimentum ſpectāt, homini ad vivendum neceſſaria ſunt. verbo *victus*, & veſtitum, quo ſe adverſus frigus, & aëris injurias homo ſe defendat, in conſequentiam, quia ſine iis victus non eſt, contineri *h. l. n.* & pro perſonarum ratione conſtituendam eſſe *l. ſervis urbanis 99. de legat. 3. l. pen. de alim. legat. l. 1. l. mulier 19. de ventre in poſs. mittendo c. non cogantur 3. diſt. 41.* ut porrò hæc clariora eſſent, ſubjicitur Caji teſtimonium : Sic ergò Cajus:

Ad L. XLIV.

Et cætera, quibus tuendi curandive corporis noſtri gratia utimur, ea appellatione ſignificantur.

PEndet hæc oratio à præcedenti reſponſo. Cum enim Ulpianus dixiſſet, verbo *victus* contineri non ſolum quæ ad nutrimentum cultumq; corporis ſpectant, verùm etiam quæcunq; homini ad vivendum neceſſaria; & ex eo conſequenter collegiſſet. *Veſtem* quoq; hac appellatione contineri : Subjicitur jam ex Cajo ; *Imò non ſolum veſtem, verùm cætera etiam omnia, quæ ad tuendum curandumq; corpus ſunt neceſſaria.* Itaque non ſolum cibus potusq; victus dicitur, verùm etiam medicina, veſtimentum, ſtramētum, tegumentum, habitatio, miniſterium famulorum ac ſervorum, & ſi quæ ſunt ejus generis alia *per hunc text. & l. præced. l. in lege 203. l. quos nos hoſtes 234. §. verbum vivere. inf. h. tit. Godd. h. l. n.*

Ad L. XLV.

Inſtratum omne veſtimentum contineri, quod injiciatur,* Labeo ait : *Neq; enim dubium eſt, quin ſtragula

veſtis,

Vestis, sit omne pallium περίςρωμα. In victum ergò vestem accipiemus, non stragula: Instratum, omnem stragulam vestem.

ROgatus aut jussus quis, quendam educare; ad victum necessaria ei præstare cogendus est. Quæri potest, quid verbo *victus & instrati* contineatur? Ex Ulpiano respondetur, verbo *victus* contineri, quæcunq; ad vivendum homini necessaria sunt *d.loc.victus* 43. Quin & Cajus *in l. & cætera* 44. hanc significationem extendit etiam ad cætera, quibus vivendi curandive corporis nostri gratia utimur, veluti est habitatio, & medicamenta; sine his enim nemo vivere potest *l. quos nos hostes* 234. *§. fin.* nemo scilicet Romanorum, quorum hæ leges sunt *Alciat.ad h.l.n.4.* Non quodcunq; tamen instratum *victus* appellatione continetur, quia nec quodcunque ad vivendum homini necessarium est. Instratum dictum est ab insternendo: estque vel animantium reliquorum, vel hominis gratia; & hoc vel adornatum, aut ad hominem vestiendum, tegendum, aut insternendum *Godd. ad h. l. n.2.* Et hæc vocatur stragula vestis, seu pallium, non simpliciter, sed pallium περίςρωμα, id est, quod insternitur vel injicitur. Pallium enim simpliciter nomen generale est eorum omnium, quæ habentur induendi causa vel injiciendi. *Cujat. ad h.l.* In victum ergò vestem accipiemus, scilicet, stragulam, quæ vestis est; non stragula alia sc. quàm vestes stragulas. *Godd.ad h.l.n.4.* ubi talem responsi interpretationem subjicit. *Instratum* (non solum id quod equuis, mensis, humo, parietibus insternitur, verùm) *omne vestimentum contineri, quod injicitur,*

jicitur, Labeo ait : (at cur hæc Labeo? *Neq; enim dubium,* inquit, *est, quin stragula vestis,* (quæ straguli sicut etiam instrati species est) *sit omne pallium* περίστρωμα (h.e. pallium, quod ita habetur, ut etiamsi opus sit, insterni, substerni & circumsterni possit : at quid hinc, Ulpiane, concludimus ? hoc nempe) *In victum ergo vestem* (sc. stragulam) *accipiemus non stragula* (sc. quælibet alia, quæ nimirum nobis pallij vice nequeunt esse, cujusmodi sunt cortinæ, velamina, strata equorum, phaleræ) instratum (non solum Babylonica velamina, περιστρώματα quælibet, verum) *omnem* (etiam) *stragulam vestem*; cujusmodi est toga, pallium, purpura & auro intextum, & si quæ sunt alia. *Godd. d. loc.*

AD L. XLVI.

Pronunciatum & statutum idem potest. Promiscuè enim pronunciasse & statuisse solemus dicere eos, qui jus habent cognoscendi.

LIcet inter pronunciatum & statutum differentia sit aliqua: Nam *pronunciare* propriè dicimus, quod vivâ voce & memoriter proferimus, vel quādo judex inter duos sententiam dicit, & aliquem servum aut ingenuum pronunciat. *Statuere* autem, si solus populus in universum leges sancit; unde leges municipales statutorum nomen capiunt; Quippe quod statuere solius est, qui fasces & merum imperium habet. Promiscuè tamen sive de communi usu loquendi, de cognitione & sententia judicis, pronunciatum & statutum dicimus *Godd. h. loc.*

AD

AD §. I.

Matremfamilias accipere debemus eam, quæ non inhonestè vixit: Matrem enim familias à cæteris fœminis mores discernunt atq; separant: proindè nihil interêrit, nupta sit, an vidua, ingenua sit, an libertina. Nam neq; nuptiæ, neq; natales faciunt matremfamilias, sed boni mores.

MAtrisfamilias nomen non respicit jus patriæ potestatis, ut opponatur filiæfamilias, & materfamilias sit fœmina sui juris *l. nam civium 4. de his qui sunt sui vel al.* Sed refertur ad ipsam mulieris qualitatem & conditionem, quâ bonis moribus discernitur à cæteris fœminis *h. l. n.* Nec hic spectamus nuptias, quia & non nuptæ sæpius honestatis decus tuentur viduæ honestæ *l. multum 242. §. viduam 3. inf. h. tit.* Nec spectamus natales, cum nec libertina conditio ansam honestè vivendi præcludat. Virtutem spectamus, quæ & ipsa dignitatem præbet *l. item legato 49. §. parvi 4. de legat.* 3. Dignitatis autem signum est vestitus, non meretricius, sed matronalis *l. item apud 15. §. si quis virgines 15. ff. de injur.*

AD L. XLVII.

Liberationis verbum eandem vim habet, quam solutionis.

HOc loco docet Paulus, *Liberationis verbum eandem habere vim, quam solutionis.* Sed hanc suam definitionem alibi ita plenius explicat, ut eam verã esse ad ipsam substantiam obligationis, non verò nummorum solutionem, ratione habita ostendat *l. 54. de solut.* Nam qui debitori suo acceptum tulit,

debitorem quidem omninò liberavit; quò fit ut acceptilatio definiatur liberatio *l.1.de acceptilat.* nec tamen debitorem creditori solvisse dici potest. Est enim solutio ejus rei quæ debetur à se in eum cui solvatur rectè abalienatio profecta. Sed quia obligationis substantia per acceptilationem concidit, atq; adeò debitor liberatus est, creditori debitorem solvisse, sed impropriè & imaginariè dicimus. Est enim acceptilatio imaginaria solutio §.1. *Instit. Quib. mod. toll. oblig.* Atq; ita licet aliud sit solutio, aliud liberatio, vi tamen & effectu non differunt.

AD L. XLVIII.

Solutum non intelligimus eum, qui licet vinculis levatus sit, manibus tamen tenetur: ac ne eum quidem intelligimus solutum, qui in publico sine vinculis servatur.

IN jus vocari nequit, qui est in vinculis aut custodia *l. sed & si quis 4.§. illud 1.vers. planè ff. si quis caut. in judic.* quod aliter se habet, si tum, cum vocatur, non amplius sit ligatus, sed solutus. Inde quæstio; quis dicatur solutus? Ad quam respondet JC. *hoc loco*, non sufficere quem vinculis levatum, sed & manibus non tenendum, nec in publico servandum *l. vinculorum 224. inf. eod.* ut quis dicatur solutus. Solutus namq; cum effectu accipitur, cui recedendi libera facultas est *l.2. de libero hom. exhib.* At qui manibus tenetur, qui in publica custodia est, licet vinculis non teneatur; tamen liberam abeundi facultatem non habet, & ideò cum effectu solutus vinculis dici non potest, cum suo arbitrio abire non possit, sed cum

cum custode aliquo. Igitur nec promissio ejus sic facta valebit *l. qui in carcerem 22. ff. de eo quod metus caus.* Adeoq; etsi carcere clusus non videatur vinctus, neque in vinculis *l. verum est 216. h. tit.* est tamen in custodia *arg. l. 1. de custodia reor.* nec ei libera est recedendi facultas, quod non multum differt à servitute *Cujat ad d. l. 216. eod.*

AD L. XLIX.

Bonorum appellatio aut naturalis aut civilis est,

Naturaliter *bona ex eo dicuntur, quod beant, h.e. beatos reddant: beare est prodesse. In bonis autem nostris computari sciendum est, non solum quæ dominij nostri sunt, sed & si bona fide à nobis possideantur, vel superficiaria sint. Æquè bonis adnumerabitur, etiam si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus. Nam hæc omnia in bonis esse videntur.*

BOnorum appellatio hoc in loco generaliter accipitur, ut non solum illa comprehendat, quæ in nostro sunt dominio, verùm etiam illa, quæ cognationem quandam cum illo habent, quæve bono sive usui nobis esse possunt. Distinguuntur enim in naturaliter & civiliter bona *h. l. n.* Naturaliter bona sunt, quæ beant, id est, prosunt, ex quibus multum commodi, nihil aut parum incommodi percipimus *h. l. n.* cujusmodi sunt illa, quæ dominij nostri sunt, & quæ deducto ære alieno supersunt. *l. subsignatum 39. §. bona 1. l. propriè 83. h. tit.* Civiliter bona dicuntur, quæ habent etiam adnexa onera; huc referuntur illa, quæ bona fide à nobis possidentur, hereditas, bonorum possessio *l. bonorum 208. h. tit. l. 2. de bon. poss.* Superficiaria, item actiones & persecutiones *l. prin-*

ceps 24. h. tit. d. l. bonorum 208 h. tit. l. à divo Pio 15. §. sic quoq; 8. ff. de re jud.

AD L. L.

Nurus appellatio etiam ad pronurum & ultra porrigenda est.

NUrus est filij uxor *l. 14. § 4. in pr. de rit. nupt. l. 4. §. 6. de gradib.* Sed latiori significatione, pronurum h.e. nepotis uxorem, vel abnurum, h.e. abnepotis uxorem, cæterasq; denotat *h. l. n.* Quin & filij sponsa Nurus dicitur: & filiæ sponsus gener appellatur; quemadmodum contra sponsæ pater, socer dicitur *l. 4. ff. ad L. Jul. de parricid.* Porrigitur autem appellatio nurus, quotiens una eademq; ratio subest, ut quando agimus de reverentia. Cum enim omnes hæ personæ ita conjunctæ sint & necessariæ, ut parentum liberorumq; loco invicem habeantur *d. l. non facile 4. §. hos itaq; 7. de gradib.* ideò, quæ reverentia nurum debetur, eam & pronurui exhibebimus. *l. generaliter 13. de in jus voc. l. cui eorum 3. §. item 2. de postul.* Notandum autem est, quod JC. inquit: *Nurus appellationem* ad pronurum esse *porrigendam.* Unde colligitur, sua natura pronurum & cæteras personas, non contineri appellatione nurus.

AD L. LI.

Appellatione parentis non tantùm pater, sed etiam avus, & proavus, & deinceps omnes superiores continentur: sed & mater & avia & proavia.

PArentes speciali nomine usq; ad tritavum superioris ordinis dicimus *l. fin. § parentes 7. de grad.*

imò

imò & eos, qui ſupra tritavum ſunt *d.l. fin.§. ſeptimo gradu*, idq; utplurimùm, quando de nominibus, quibus ſuperiores ordines inter ſe diſtinguuntur, agimus. Nam usq; ad ſextum gradum ſpecialia nomina apud Romanos ſunt prodita, (1) pater, mater (2) avus, avia (3) proavus, proavia (4) abavus, abavia (5) atavus, atavia (6) tritavus, tritavia. *l. 1. §. primo gradu 3. cum §. ſeqq. de gradib.* Cæteri qui ſunt in ulteriori gradu, ſpeciali appellatione carent, ideoq; majores dicuntur *d. §. ſeptimo gradu Paul. libr. 4. ſent. 11. §. fin.* qui ſeptimum addit, nempe ſobrino ſobrinâve natum *fac. §. fin. Inſtit. de ſucceſſ. agnat. l. 1. §. hoc autem 3. unde cognati.* Ideò autem ſucceſſionis ſeptem tantùm gradus conſtituti ſunt; quia ulterius per rerum naturam, nec nomina inveniri, nec vita ſuccedentibus prorogari ſolet *l. non facile 4. in pr. ff. de gradib.* Denique additur: *Sed & mater, avia, proavia.* Retinent enim fœminæ ſucceſſivum ordinem familiæ, propter individuæ vitæ conſuetudinem, qua jura maritorum ipſis competunt. quia ſemper verum eſt, proaviam genuiſſe avum, hanc filium, & ſic deinceps.

AD L. LII.

Patroni appellatione & patrona continetur.

MAſculinum continet fœmininum *l. 1. l. pronunciatio 195. h. tit. l. qui duos mulos 62. de legat. 3.* ubi JCtus Julianus ait: ſemper ſexus maſculinus fœmininum continet. Inde pueri appellatione, puella *l. illa verba 163. § 1. l. pueri 204.* patroni, patrona, *h. l. n*

liberti, liberta *l. liberti 172. l. scævola 243. h. tit.* servi, ancilla *l. detestatio 40. §. servi 1. l. inter stuprum 101. §. servis legatis h. tit.* A potiori enim fit denominatio: Potior autem est mas quàm fœmina *l. 1. ff. de senat.*

AD L. LIII.

Sæpè ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis; interdum soluta pro separatis. Nam cum dicitur apud veteres, adgnatorum gentiliumve; *pro separatione accipitur: At cum dicitur,* super pecuniæ tutelæve suæ, *tutor separatim sine pecunia dari non potest. Et cum dicimus,* quod dedi aut donavi, *utrumque continemus. Cum verò dicimus,* quod eum dare facere oportet, *quodvis eorum sufficit probare. Cum verò Prætor dicit;* Si donum, munus, operas redemerit, *si omnia imposita sunt, certum est, omnia redimenda esse. Ex re ergò pro conjunctis habentur: Si quædam imposita sunt, cætera non desiderabuntur: Item dubitatum, illa verba,* ope consilio *quemadmodum accipienda sunt: Sententiæ conjungentium aut separantium: Sed verius est, quod & Labeo ait; Separatim accipienda. quia aliud factum est ejus, qui ope, aliud ejus; qui consilio furtum facit: Sic enim alij condici potest, alij non potest: Et sanè post veterum autoritatem eò perventum est, ut nemo ope videatur fecisse, nisi & consilium malignum habuerit, nec consilium habuisse noceat, nisi & factum secretum fuerit.*

QVænam sit conjuncta, quæ disjuncta, quæ denique soluta oratio, abundè ostendit Goddæus *ad l. alienationis 28. §. 1. sup. eod. & l. conjunctionem 29. eod.* ubi vim etiam & usum ejus clarè proposuit. JCtus autem hoc loco tribus exemplis declarat, quod non solum in hominis, verùm etiam legis dispositione sæpè conjuucta pro disjunctis, &, vice versa, dis-

disjuncta pro conjunctis accipiuntur. Deinde tribus exemplis ostendit, quomodo soluta oratio, quæ neque conjunctionem, neq; disjunctionem habet *d. alienationis 28. §. oratio 1.* pro re subjecta & intentione proferentis modò pro conjunctâ, modò pro disjuncta & separata haberi debet: quod ipsum eleganter tradit Goddæus *ad h.l.n.4.& seqq.*

AD L. LIV.

Conditionales creditores dicuntur & hi, quibus nondum competit actio, est autem competitura, vel qui spem habent, ut competat.

QVod in conditione est, non est in obligatione *l. si quis in testamento ff. si quis omiss. caus.* neq; debetur *l. cedere diem. h. tit.* Sed tamen nihilominus Ulpianus hic respondet; Eos quoq; creditores *latissimè scilicet*, accipiendos esse, quibus sub conditione non solum quæ jam extitit, sed etiam quæ adhuc pendet, debetur *l. 10. & seqq. sup. eod. Godd. ad h. l.*

AD L. LV.

Creditor autem is est, qui exceptione perpetuâ summoveri non potest: qui autem temporalem exceptionem timet, similis est conditionali creditori.

GEneraliter Paulus hoc loco creditorem definivit, qui nulla perpetua exceptione à petitione submoveri possit, sive esset purus, sive non purus creditor, h.e cui deberetur sub conditione, vel in diem, aut ex die *§. omnis cum seqq. Instit. de inutilib. stipulat.* Etsi enim his exceptio plus tempore petentis

objici potest §. *si quis agens Inst de act.* perpetuò tamen non repelluntur, quia existente conditione, vel adveniente die, rursus experiri possunt, & quidem cum effectu *d. §. si quis agens 12. § seqq. Godd. ad h. l. n.*

Ad L. LVI.

Cognoscere instrumenta, est relegere & recognoscere: dispungere est conferre accepta & data.

AD debitum probandum & petendum, opus quãdoq; est instrumentorum inspectione & cognitione *l. fin. §. 1. de reb. auth. jud. possid.* Cognoscere verò nihil aliud est, quàm recognoscere, relegere & revidere: instrumenta, inscriptionem, subscriptionem, & sigilla eorum inquirere. Sed quia contingit sæpè, ut post instrumentorum recognitiones, etsi de debito constet, tamen adversarius vel solvisse se partem debiti, vel etiam creditorem sibi vicissim obstructum habere contendat; ita ut rationum collatione opus sit, quod JCti dispungere vocant; docet Ulpianus dispungere, esse conferre data & accepta; Vel quod idem est, expungere, id est, punctis notare *Brisson. de verb. significat. verb. dispungere* die Rechnung beschliessen/ germani dicunt, *Godd. ad h. l.*

Ad §. 1.

Liberorum appellatione continentur non tantùm, qui sunt in potestate: sed omnes qui sui juris sunt, sive viriles, sive fœminini sexus sunt, exve fœminini sexus descendentes.

ULpianus hoc loco explicat, quinam liberorum appellatione intelligendi? Nempè non solùm

liberos

liberos esse, & vocari, quos in potestate nostra habemus; verùm etiam omnes ex nobis natos descendentes, & quidem in infinitum *l. liberorum 220. h. tit.* tam emancipatos, quàm in potestate nostra natos, tàm primi quàm secundi vel tertij gradus, sive per masculos nobis conjungantur, sive ex fæminis descendant, vel per fæmineum sexum in descendente linea nobis originis ratione conjungantur. Nam & fæminæ filiæ, & ex ipsis nati, nata que, liberorum appellatione veniunt, per rationem *ad l. 1. sup. eod.*

AD L. LVII.

Cui præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam & solicitudinem rebus, quibus præsunt, debent, Magistri *appellantur: quin etiam ipsi* Magistratus *per derivationem à* Magistris *cognominantur. Unde etiam cujuslibet disciplinæ præceptores,* Magistros *appellari à monendo vel monstrando.*

IN omnibus artibus & negotijs humanis rectius & prudentius peragendis constitui solent primarij quidam administratores, qui prudentia & industria cæteris præcellere videntur, ut ij rerum quibus præsunt, administrationem majori diligentia & solicitudine quàm cæteri, si qui simul præsunt, suscipiant, & qui ita constituuntur, *Magistri* appellari consueverunt. Inde dicimus *navis Magistrum*, cui totius navis cura mandata est *l. 1. §. 1. de exercit. act.* Sic dicimus *societatis Magistrum*, qui magis cæteris socijs in rebus communibus potest; quò fit, ut hujus pactum reliquis prosit & obsit *l. 14. de pact.* Sic dicimus *Magistros ludi literarij*, textus est *in l. 1. §. 6. ff. de var. & extraord. cognit.* Sic *Magister Augurum* dictus, qui re-

liquos ætate & peritia antecessit *Rosin.3.antiqu.Rom.8.* Hinc *Magistrari*, vel, ut alij legunt, *magistrare* est moderari, regere & temporare, *Wesenb. & D. Cothm. in parat. C. de offic.magist.milit.* Deniq; & ipsi magistratus cum alijs præsint, & in Republica magis quàm reliqui possint, per derivationem à magistris cognominantur *h. l. n.* Addit JCtus: *Unde etiam cujuslibet disciplinæ præceptores, Magistros appellari à monendo vel monstrando*: unde patet, JCtum hoc loco notationẽ magistri non Grammaticam adducere, sed finem officij respicere. Cui enim præcipua cura rerum incumbit, is in consequentiam monendo & exhortando nihil reliqui facere debet, ut qui sub manu ipsius sunt, strenuè officium suum faciant *arg. l. 2. de jurisdict.*

AD §. I.

Persequi videtur, & qui satis accepit.

SAtis acceptio instar solutionis est *l.4. §. ait prætor 3. de re judicat.* Igitur satis accipiendo videtur liti actor renunciare, ut amplius eam prosequi non possit. At cum satisdatio vera solutio non est *d. §. ait prætor in fin.* Idcircò nec persecutioni per eam renunciatur. Et quod de satis acceptione dictum, quod instar solutionis sit, illud procedit saltem ratione securitatis, ut securi possimus esse de debito non amittendo; non autem procedit, quoad extinguendam actionem, quæ nobis competit *l. 1. ff. Qui satisd. cog.* Quapropter satis accipiendo nemo videbitur suum consecutus, sed magis in persecutione cœpta perstitisse *l. prætor 2. Quib. ex causs. in possess. eat. Alciat & Godd. h.*

Ad L.

AD L. LVIII.

Licet inter gesta & facta *videtur quædam esse subtilis differentia: attamen* καταχρηστικῶς *nihil in*ter factum & gestum *interest.*

INter gesta & facta videtur quædam esse differentia: Nam *facta* dicuntur, sive cum alijs, sive nobiscum duntaxat quid egimus. *Gestum* id complectitur, quod cum alio agimus *tot. tit. de negot. gest.* At quia rebus non verbis leges imponuntur *l. 2. in fin. C. Comm. de legat.* Igitur quando constat, quo animo quid gestum vel factum sit, verborum ratio non est habenda *l. scire leges 17. l. in ambigua 19. de legib.* id quod ex subjecta materia potissimùm elucet *l. in lege 29. ff. locati c. in his 15. de verb. sign.*

AD §. I.

Paternos libertos rectè videmur dicere nostros Libertos: Liberorum libertos non rectè nostros libertos dicimus.

IN quovis actu, qui ex necessitate juris aliquid requirit, consideramus originem. Quia igitur pater non manumisit, sed filius, ideò nec libertus patris dici potest. Liber enim homo alteri non acquirit obligationem *§ alteri quoq; 18. Instit. de inutilib. stipulat.* Unde nec socius socij mei, socius meus est *l. nam socii 20. ff. pro socio.* Quod autem paterni liberti, sunt etiam filiorum liberti, ratio specialitatis est: quia omnes descendentes natura referunt ac repræsentant stirpis suæ auctorem *§. 2. § 3. Inst. de hered. quæ ab intest. defer. Godd. ad h. l. n. sub. n. 1.*

Ad L.

AD L. LIX.

Portus appellatus est conclusus locus, quo importantur merces, & inde exportantur; eaq́; nihilominus statio est conclusa, atq́; munita: inde angiportum dictum est.

VOcabuli *portus* duplicem significationem JCtus hoc loco recitat. *Alteram*, quâ portus locum sive domum significat, mercium importandarum vel exportandarum causa paratum; qualia ædificia nostri vocant Packheuser/oder Speicher. *Alteram*, qua portus stationem navium h. e. locum, cui naves, ut in tuto sint, includuntur, denotat. *Statio* dicitur à stando seu statuendo. Is igitur locus demonstratur, ubi tutò naves stare possunt. *l. 1. §. stationem ff. de flumin.* Stationis verbo congruit nostrum germanicum Laststadt/quasi illa statio, in quam naves recipiuntur.

AD L. LX.

Locus est non fundus, sed portio aliqua fundi. Fundus autem integrum aliquid est & plerunq́; sine villa locũ accipimus. Cæterũ adeò opinio nostra & constitutio locum à fundo separat, ut & modicus possit fundus dici, si fundi animo eum habuimus. Non enim magnitudo locum à fundo separat, sed nostra affectio & quælibet portio fundi poterit fundus dici, si jam hoc constituerimus. Nec non & fundus locus constitui potest. Nam si eum alij adjunxerimus fundo, locus fundi efficietur. Loci appellationem non solum ad rustica, verùm ad urbana quoq́; prædia pertinere Labeo scribit. Sed fundus quidem suos habet fines: locus verò latere potest, quatenus determinetur & definietur.

IN hac lege ostenditur, differentiam esse inter fundum & locum. *Fundus* est cum villa, nec est sine ædificio; *villa* est pars fundi, *locus* potest esse sine villa: fun-

la : *fundus* est totum quiddam, *locus* est pars fundi. Igitur *fundus* habet suos fines, qui constituuntur possessorum arbitrio; *locus* non habet certos, & animo concipitur potius, quàm finibus certis. Tantùm *fundus* ad prædia rustica pertinet, domus enim non est fundus; *locus* potest pertinere etiam ad prædia urbana. Nam & loci sunt in ædibus, seu membra, ut latini loquuntur *Cujat. Alciat. & Gœdd. h. l.*

AD L. LXI.

Satisdationis appellatione interdum etiam repromissio continebitur, quâ contentus fuit is, cui satisdatio debebatur.

QVi satisdare necesse habet, facere hoc debet datis fidejussoribus *l. 1. Qui satisd. cog. l. 7. de prætor. stipulat.* adeò ut nec pignora dedisse sufficiat, multò minus nuda repromissio: Unde & satisdatio opponitur nudæ repromissioni *l. 1. §. stipulationem 5. de prætor. stipul.* Sed hoc ita est, si repugnaverit is cui satisdandum est. Quod si verò stipulatione aut repromissione simplici contentus sit, propria voluntate eandem satisdationi substituit, ut exinde satisdatio sit, quæ per se talis non est *l. si rem 9. §. omnis de pign. act.* licet nimirum juri pro se introducto renunciare *arg. l. ex prætorio 27. ubi Dd. de reg. jur.*

AD L. LXII.

Tigni appellatione in lege XII. tabularum omne genus materiæ, ex quâ ædificia constant, significatur.

IN lege XII. tabb. ita scriptum erat: *Tignum junctum ædibus ne solvito, sed duplum, qui junxit, dato.* Quasi-

Quæsitum fuit, quid tigni appellatione veniat? & anne trabes duntaxat appellatione tigni continerētur, reliquas autem materias domino liceret eximere ædibus & sibi vendicare? Sed cum eadem ratio in reliquis etiam quibusvis materijs, quæ in trabibus, subsit, ne ædificia sub hoc prætextu diruantur, *l. 1. pr. de tigno juncto.* JCti tigni vocabulum generaliter acceperunt pro omni materia, ex qua ædificiū constat, ut sunt non tantùm trabes, sed ligna quoque, lapides, calx, arena. Et inde fabros etiam tignarios dicimus, non eos duntaxat, qui tigna dolarent, sed omnes qui ædificarent *l. ferri 235. §. 1. eod. tit.*

AD L. LXIII.

Penes te, *amplius est quàm* apud te. *Nam apud* te *est, quod qualiter qualiter à te teneatur*: Penes te *est, quod quodammodo possidetur.*

PEnes est à penitus; & *penes te* est, quasi penitus apud te, qui penes se rem habet, ut in re illa dominium vel jus sibi adferat *l. alio 9. pr. de aliment. leg. l. si sub. 16. Quib. mod. ususfr. amitt.* & ut hic Ulpianus loquitur, quodammodò possidet. Apud te significat tantùm rei apud te existentiam etiam sine aliqua tui affectione in eandem *h. l. n.* veluti depositarius, commodatarius *l. ei aqud quem 5. l. si hominē 7. ff. depos. l. qui negotia 34. mand. l. 1. & 2. de castr. pecul.*

AD L. LXIV.

Intestatus est, non tantùm qui testamentum non fecit, sed etiam cujus ex testamento hereditas adita non est.

Inte-

ET si in ea legis XII. tabb. parte, qua agitur de legitima tutela; *intestatus* is etiam sit, qui testamentum quidem jure perfectum fecit, ex quo hereditas adita sit; at tutores non dedit, vel certè inutiliter dedit *l. 6. de legitt. tutorib. § quod autem lex Instit. de legitt. agnat. tut.* Propriè tamen *intestatus* est, qui aut omninò testamentum non fecit, aut tale fecit, ex quo vel non potuit adiri, vel adita non est hereditas *h. l. n. & l. 1. de suis & legitt. §. 1. Inst. de hered. quæ ab intest. Godd. ad h. l. num. 3.*

AD L. LXV.

Heredis appellatio non solùm ad proximum heredem, sed & ad ulteriores refertur. Nam & heredis heres, & deinceps heredis appellatione continetur.

ULpianus *hic* definit: heredis heredem primi defuncti heredem esse. Si enim heres repræsentat personam defuncti, etiam adita hereditate, utiq; ea repræsentatio, ne quidem in secundo, tertio & ulteriori successione extinguetur. Imò si successio est in universum jus defuncti ejus, cui proximè succedimus; uti verè est *l. nihil est aliud 24. h. tit.* consequens erit, heredis heredem primo quoque testatori succedere, cum illius etjam jus in hoc resideret, eiq; inhæreret. *Godd. ad h. l. n. 1.* Et hinc rectè Ulpianus dicit: *Heredis appellationem non solùm ad proximum heredem, sed & ad ulteriores referri h. l. n.* & per multas successiones etjam longissimas accipi *l. sciendum 70. l. heredis 170. inf. h. tit. l. qui per successionem 194. de reg. jur.* Tres exceptiones ab hac regula tradit Goddæus *ad h. l. nost. n. 4. & 2. seqq.*

Ad L.

Ad L. LXVI.

Mercis appellatio ad res mobiles tantùm pertinet.

NOn omne quicquid in emtionem venditionem deduci poteſt, mercis appellatione continetur: ſed ab eo quod mercatores, ut mercatores, facere ſolent, merx æſtimanda eſt. At mercatura circa ſolas res mobiles, ut eſt ſericon, coccum, gemmæ, frumentum, &c. verſatur, quatenus commercium earum non prohibetur *l. 1. & tot. tit. C. Quæ res vendi non poſſ.* Sanè vocabulum mercis generaliter accipitur, pro omni re, quæ emi & vendi poteſt *l. 1. de rer. permutat. & l. 1. de contrah. emt.* Omnis mercator emit vendit; ſed non ſtatim qui aliquid emit vel vendit, puta domum, agrum, &c. is etiam mercator eſt, Generalior igitur eſt emtio venditio, quàm mercatura. Et mercator is ſaltem dicitur, qui res mobiles lucri faciendi negotiandiq; cauſa eo animo comparat, importat, exportatq; venum *l. un. C. de nundinis Alciat. ad h. l. & Godd.* Germanicè Kauffſchlagen.

Ad L. LXVII.

Alienatum non propriè dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet: venditum tamen rectè dicetur.

ALiud eſt alienatio ipſa, aliud obligatio, ſeu titulus obligationis, cujuſmodi eſt emtio venditio &c. Nam etſi alicui aliquid emtionis venditionisve cauſa, vel ex quolibet alio contractu debetur, id tamen ante traditionem, non cenſetur in emtorem alienatum, quia nondum cæpit debitori abeſſe, & cre-

dito-

ditori adesse *l. quod vendidi 19. de contrah. empt.* Traditionibus scilicet & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur *l. traditionibus C. de pact.* Si dominus est qui tradit; si precium emtor solvit, dominium transfertur; si non est dominus, usu capiendi conditio saltem *Donell. in d. l. traditionibus.* Excipiuntur Ecclesiæ & loca ad alimoniam pauperum comparata; hic enim absq; traditione dominium statim transfertur *l. ult. in fin. C. de SS. Eccl.*

AD §. I.

Donationis verbo simpliciter loquendo omnem donationem comprehendisse videtur; sive mortis causa, sive non mortis causa fuerit.

DOnationem genus facit; cujus species proximæ sint, *mortis causa, & non mortis causa donationes.* Quas donationum species ponit & Imperator *in pr. Instit. de donat.* Genus itaq; continet sub se omnes species, sive modos, quibus donatio fit, nisi subjecta materia, lex aut voluntas obstet §. *adoptio 1. Inst. de adopt. l. 2. de reb. cred.* Adeoq; utraq; donatio rectè dicitur donatio *h. l. n. l. inter dominum 94. h. tit.*

AD L. LXVIII.

Illa verba* (arbitratu Lucij Titij fieri) *jus significant, & in servum non cadunt.

SErvus quidem facti capax est *l. stipulatio ista 38. §. hi qui sunt 6. ff. de verb. obligat.* Exinde, dixerit quis, etiam arbitrij: quia *arbitratu* factum, non jus continere videtur; sicut contrahere facti dicitur *l. consilio 7. §. fin. de curat. funis.* Sed JCtus hoc loco scribit, *servum non esse capacem arbitrij, sive in servum non*

F cadu-

cadere arbitrium. Et rectè. Qui enim arbitrium recipit, non nudum factum, ut est, ire, agere, sed jus potestatemq; statuendi, decernendiq; recipit, id est, se arbitraturum, arbitrio boni viri *l. servum* 33. §. *ait Prætor* 3. *de procurat.* Arbitrati quidem facti est; sicut ire, agere, item contrahere; Arbitrium autem juris est, & boni viri civisq; qualitatem denotat *Gœdd. ad h. l. n.*

AD L. LXIX.

Hæc verba (cui rei dolus malus aberit, abfuerit) *generaliter comprehendunt omnem dolum, quicunq; in hanc rem admissus est, de quâ stipulatio interposita.*

Circa hanc legem sciendum est; Non tantùm in stricti juris conventionibus *l. 38.* §. 13. *ff. de verb. oblig.* sed & in bonæ fidei judiciis, clausulam *doli mali* adjici solere *l. si cum fundum ff. de contrah. emt.* Et quidem si simpliciter dictum sit, *dolum malum abesse abfuturumq; esse* his verbis; omnem dolum, h. e. non tantum promissoris, sed & hujus heredis dolum intelligimus *l. novissima. in pr. ff. judicat solvi.* At si vel pœna adjecta sit, puta, *si hujus rei dolus malus non abfuerit, quanti ea res erit*, dare spondes? *d. l. novissima §. 1.* vel si quis curaturum se spoponderit, ne in ea re quid dolo malo fiat *l. 83. in pr. de verb. oblig.* Istis verbis, & ista stipulatione, omnem dolum significamus, non tantum promissoris, & hujus heredis, sed cujuslibet extranei *d. l. novissima §. 1. d. l. 83.* Hodie in contractibus frequens est illa formula Alles getrewlich vnd ohngefehrte / quæ huic doli clausulæ correspondet *Gœdd. de cont. & commit. stip. cap. 8. n. 26.*

AD L. LXX.

Sciendum est, heredem etiam per multas successiones accipi. Nam paucis speciebus heredis appellatio proximum continet: veluti in substitutione impuberis, quisquis mihi heres erit, idem filio heres esto: *ubi heredis heres non continetur, quia incertus est. Item in lege Ælia sentia filius heres proximus, potest libertum paternum, ut ingratum accusare, non etiam si heredis heres extiterit. Idem dicitur in operarum exactione, ut filius heres exigere possit, non ex successione effectus.*

DOcet Paulus hoc loco: heredem etiam accipi per multas successionet, h.e. heredem heredis & ulteriores *l. heredis 65. sup. h. tit.* paucis casibus exceptis: quorum tres recenset: primus est in substitutione vulgari & pupillari *vers. veluti h. l. nost. & l. qui liberis §. hæc verba ff. de vulg. & pupill. substit.* Nam cum vulgaris per aditionem expiret *§. 1. §. fin. Inst. de vulg. substit. Cujat. 12. obs. 20.* hæc testatoris verba, *Quisquis mihi heres erit, idem filio heres esto*: pro subjectâ materiâ de primo tantum herede interpretantur. Secundus casus est in accusatione liberti propter libertatis favorem *h. l. vers. Item in lege l. 2. l. fin. C. de bon. libert.* Nam cum lege Ælia sentia heredi permittatur paternum libertum ingratum accusare *l. pen. C. de libert. eor. lib.* propterea non extenditur ultra primum heredem: quia ingrati actio per se satis odiosa est *l. 1. l. 7. l. ult. C. de revoc. donat.* Tertius est in operarum promissarum exactione propter causæ odium *hic vers. idem dicitur & l. cum patronus §. cum libertus ff. de oper. libert.* Has patroni heres non exigit, nisi proximus sit, & ex liberorum seu suorũ numero. *h. l. n. Gædd. ibid. & ad l. heredis 65. sup. h. tit. n. 41 & seqq.*

AD §. I.

Verba hæc, Is, ad quem ea res pertinet, *sic intelliguntur, ut qui in universum dominium vel jure civili, vel jure prætorio succedit, contineatur.*

IN *hoc* §. traditur de significatione verbi *pertinere*, ut etiam *in l. verbum 181. h. tit.* Plenissimè quidem pertinere dicitur res ad dominũ pleno jure: ad eum autem qui jus tantum in re habet, eo modo quo illud jus est dominium *l. si postulaverit 27. §. 1. & seqq. ad L. Jul. de adult.* sin jus in re nullum habeat, sed actionem ad rem, etiam ad hunc res illa dicitur pertinere *l. bonorum 49. h. tit.* Ad eum res pertinere non dicetur, qui, licet ejus intersit, agendi tamen causa destituitur *l. in hac actione 3. §. si mecum 11. ff. ad exhib.* Quid de successore? Paulus *in h. l. n.* differentiam constituere videtur inter universalem & singularem. His verbis, *ad quem ea res pertinet*, etiam qui in universum dominium vel jure civili, vel jure prætorio succedit, continetur *h. l. n.*

AD L. LXXI.

Aliud est capere, *aliud* accipere. *Capere cum effectu accipitur: accipere, & si quis non accepit ut habeat. Ideoq; non videtur quis capere, quod erat restiturus, sicut* pervenisse *propriè illud dicitur, quod est remansurum.*

QUemadmodum aliud est pervenisse, aliud venisse. Sic aliud est capere, aliud accipere. *Pervenisse* dicimus id, quod est remansurum. Ita *capere* cum effectu accipimus. Est enim *capere* in dominium suum capere *h. l. n.* vel sic acquirere, ut nobis rem illam

illam habeamus, nec restituere alii cogamur: *Accipere* verò est, etiam non sic accipere ut quis habeat *h. l. n.* non est in suum dominium capere: nam accipimus dicimur & eam rem, cujus dominium noudum acquisivimus *l. naturalis 5. §. 1. de præscript. verb.* adeoq; accipit ille quoq;, qui aliis restituit. *Alciat. Cujat. & Gœdd. h. l.*

Ad §. I.

Hæc verba, his rebus rectè præstari, *hoc significant, ne quod periculum vel damnum ex ea re stipulator sentiret.*

EMtor vitiosæ rei, si eam reddere velit venditori, precio recepto, cavet creditori his verbis: *His rebus rectè præstari.* Quibus hoc efficitur, ut si fortè in re quæ redhibetur, damnum dederit, ut id resarciat, & venditorem ab omni periculo & damno tutum faciat *h. §. n. l. 21. §. 2. de ædil. edict.* Significat autem periculum generaliter quodlibet damnum *l. 4. de peric. & comm. rei vend.* quo sensu dicitur: periculo nostro res esse propter dolum culpamve *l. 4. Naut. caup. stabul.* Damnum verò est incommodum, quod alicujus facto vel injuriâ *tot. tit. ff. ad L. Aquil.* aut injuria nostra sentimus *l. quod si possessor ff. de petit. hered.* Romani hac formula uti solebant, & ita etiam exprimere, *illosq; boves sanos esse, noxiisq; præstari spondes Varro lib. 2. de reb. rust.*

Ad L. LXXII.

Appellatione rei pars continetur.

QUi rem suam à Titio vendicat, non ideò exceptione repellitur, quod rei suæ tantum pars penes Titium sit. Quia appellatione *rei* etiam pars con-

continetur *h. l. n.* Et quæ de totius rei vendicatione dicuntur, eadem quoq; in partis vendicatione intelligenda sunt. *l. 76. in pr. de rei vendicat.* Hinc argumentum à toto ad partem in jure frequens & firmū est: de quo Eberhardus *in Top.* & Petrus Faber *in l. in toto 113. de reg. jur.*

AD L. LXXIII.

Hæc verba, eam rem rectè restitui, ***fructus continet.*** Rectè *enim verbum pro viri boni arbitrio est.*

PArticula *rectè* variam accipit interpretationem ex subjectæ materiæ ratione. In stipulatione si ita scriptum sit: *Eam rem rectè restitui.* Ibi verbum *rectè* pro boni viri arbitrio est, ita ut non res tantùm, sed & fructus restituendi sint. Quod tamen verum quoq; est particulâ illâ *rectè* omissâ *l. 126. §. 2. de verb. oblig.* Nam & ipsius verbi *restituere* natura & significatio hæc, ut qui restituere jussus est, non rem tantum, sed & fructus reddat. *l 22. sup. h. tit.* In tutelæ administratione, pupillum & hujus bona rectè defendere, est id facere, quod quis paterfamilias faceret *l. 10. de administ. tut.* In judicio si quis alium defendere conetur, rectè defendere dicimus, judicium accipere cum satisdatione *l. rectè defendi ff. de judic.* atq; hæc defensio dicitur plena *l. 21. in fin. Ex quib. caus. major.*

AD L. LXXIV.

Signatorius annulus, ornamenti appellatione non continetur.

DOminus vendidit mancipium cum ornamentis; quæsitum, an ornamentorum appellatione ejusmodi

modi annulus contineretur? Quod negatur *h. l.* Quia, namq; annulus ſignatorius non ornatus cauſa paratus eſt, facilè eſt, cur ornamenti appellatione non contineatur *l. 25. §. ornamenta 10. de auro & arg. leg.* Ex fine autem res æſtimantur *l. nam quod 4. de penu legat. Godd. h. l.*

AD L. LXXV.

Reſtituere is videtur, qui id reſtituit, quod habiturus eſſet actor, ſi controverſia ei facta non eſſet.

IS qui reſtituere juſſus eſt, rem unà cum fructibus & cauſa ab eo tempore, quo cum ipſo lis conteſtata eſt, reddere debet *l. 35. ſup. h. tit.* h.e. ut JCtus hoc loco ait; Reſtituere is dicitur, qui id reſtituit, quod habiturus eſſet actor, ſi controverſia ei facta non eſſet, h. e. qui actorem in priſtinum ſuum jus, quod ante motam controverſiam erat, reponit: & omne quod vel adeſt damni, vel emolumenti abeſt, reſtituit. Exemplum ponitur in hereditatis petitione *ex l. 4. ff. de hered. petit.*

AD L. LXXVI.

Dediſſe intelligendus eſt etiam is, qui permutavit vel compenſavit.

DAre eſt dominium transferre *l. non videtur, de reg. jur.* In permutatione autem dominium transfertur. Undè rectè infertur, *dediſſe* etiam intelligendum eum qui permutavit *h. l. n.* Hinc ſi quis ſtipulatus ſit, *Decem tibi dotis nomine dabo,* & rem XXX. valentem pro XX. permutarit, ita ut reliqua decem dati ſint, dediſſe intelligendus *l. 25. de jure dot.* Sed &

qui compensavit, dedisse creditur. Nam cum compensatio sit per æris sui computationem ab ære alieno liberatio, is qui per compensationem ab obligatione liberatus est, id quod ex obligatione debebat, dedisse intelligitur *h. l. n.* Similiter qui per acceptilationem liberatus est, dedisse dicitur *l. 10. de condict. caus. data.* Utrunq; rectè, Quia & compensatio & acceptilatio instar solutionis sunt *§. 1. Inst. Quib. mod. toll. oblig.*

Ad L. LXXVII.

Frugem ***pro reditu appellari, non solum quod ex frumentis aut*** **leguminibus,** ***verùm etiam quod ex vino, sylvis cæduis, cretifodinis, lapicidinis capitur. Julianus scribit, fruges omnes esse quibus homo vescatur, falsum esse: non enim carnem aut aves ferasve, aut poma fruges dici;*** **frumentum** ***autem id esse, quod aristâ se teneat, rectè Gallum definiisse: lupinum verò & fabam, fruges potius dici: quia non aristâ, sed siliquâ continentur: quæ Servius apud Alphenum in frumento contineri putat.***

IN hoc responso triplex refertur frugum species; *frumentum, legumen & fruges*, quæ generis nomen retinet. Frugum namq; nomen generale est, continens frugem in specie sic dictam, legumina, & frumentum *Paul. lib. 3. sent. tit. de legat. 6. ubi Cujat. & in h. l. n.* Quod ut intelligatur, sciendum est, quod sub proventibus & reditibus omnia prædicta contineantur. Reditus autem aut proventus est, aut fruges. *Proventus* est quicquid sine peculiari cultura, & plerunq; eadem stirpe redit, cujusmodi sunt poma, pira, nuces, glandes, fænum: *Fruges* sunt, quæ culturam & industriam humanam requirunt, & rede-

redeunt, vel ſine ſemine, vel ex ſemine. *Illæ* quæ ſine ſemine redeunt, generis nomen retinent, ut vina, olea, fruges ſeu fructus lapicidinarum, cretifodinarum, argenti auriq; fodinarum, ſylvarum cæduarũ. *Hæ* ſegetes à ſemine ſpecialius vocantur: & dividuntur in frumentum & legumen. *Frumentum* (à frumine dictum, quod ex eo panis confici, & per frumen, quod ſumma pars gulæ eſt, per quam cibus in ventrem demittitur) eſt fruges, quæ emiſſis ariſtis creſcendo perficitur & ſeritur, ut eſt triticum, hordeum, ſpelta, avena. *Legumen* eſt fruges ſine ariſtis, quæ ſiliquâ continetur, ut ſunt fabæ, lens, cicer, linum. Errant itaque, qui fruges illa omnia, quæ eſui potuive eſſe poſſunt, appellabant. Sed hoc Julianus ea ratione, quod carnes, aves, feræ, vel poma, itemq; agni, hædi, volucres, ac butyrum, ova, & ſi quæ ejus generis alia, fruges dici nequeant, repræhendit, licet his homines veſcantur. Quæ enim ex animantibus naſcuntur, quæque ex aliis arboribus quàm vite & oliva coguntur, neq; fruges ſunt, neq; fruges vocari debent, cum non tam frugalitati hominis, quàm plerumq; voluptati inſerviant. In eo verò differunt fructus & fruges; Quòd *fructus* verbum (à fruendo dictum) omne emolumentum, commodum, utilitatem & compendium quolibet modo ſeſe uſufructui offerens, deſignat. *Fruges* verò (ſive frux ut veteres dicebant) quod propriè neceſſitatis, utilitatisve, non luxuriæ cauſa capitur. Et eam Juliani ſententiam Paulus comprobat *h. l. n.* Poteſt verò *hujus legis* uſus eſſe, cùm in aliis, tùm verò præcipuè in legatis. Nam legatis frugibus, tàm

legumina, quàm frumenta deberi Paulus respondit *lib. 3. sentent. tit. 6. vers. 78.*

AD L. LXXVIII.

Interdum proprietatem quoq; verbum possessionis significat, sicut in eo, qui possessiones suas legavit, responsum est.

ALiud est possessio, longè aliud proprietas: quod usq; adeò verum est, ut Ulpianus responderit, nihil commune habere proprietatem cum possessione *l. naturaliter 12. §. 1. de acquir. poss.* Quibus verbis JCtus nihil aliud significare vult, quàm eum qui rem vendicare cæpit, si fortè succumbat; & postea jure suo melius cognito, intelligat, se possessorem esse, Interdictum uti possidetis intentare posse, ad possessionem obtinendam; non obstante eo, quod in proprietatis causa succubuerit; quia scilicet aliud sit possessio, aliud proprietas. Planè cum dominium ex naturali possessione cæperit *l. 1. de acq. poss.* fit nonnunquam, ut causa pro effectu ponatur; puta, possessio pro proprietate: uti hoc in loco, in eo qui possessiones suas legasset, responsum est, nempe hunc proprietatem legasse censeri. Econtra fit, ut proprietas possessionem denotet *l. 15. C. de rei vendicat.*

AD L. LXXIX.

Impensæ necessariæ sunt, quæ si factæ non sint, res aut peritura, aut deterior futura sit.

IMpensarum tres sunt species: Aut enim necessariæ dicuntur, aut utiles, aut voluptuariæ. Impensas necessarias inde dici ostendit JCtus, quod necessitatem impendendi in se habeant *l. 1. §. 1. de impens. in rem*

rem dot. fact. Quæ nisi factæ essent, res aut peritura, aut deterior futura sit, veluti si quis ruinosas ædes refecerit *Ulp in fragm. tit. 6.* Tota natura namq; ad sui conservationem tendit. Igitur quicquid in illam insumitur, ut scilicet res naturalis in suo statu conservetur, id meritò inter necessarias impẽsas refertur *h. l. n.*

Ad §. I.

Utiles impensas esse Fulcianus ait, quæ meliorem dotem faciant, non deteriorem esse non sinant; ex quibus reditus mulieri acquiratur; sicuti arbusti pastinatione, ultra quam necesse fuerat: item doctrinam puerorum: quorum nomine onerari mulierem ignorantem vel invitam non oportet; ne cogatur fundo aut mancipiis carere. In his impensis & pistrinum, & horreum insulæ dotali adjectum plerumq; dicemus.

UTiles impensæ dictæ sunt, quæ impenduntur, ut res melior & fructuosior, quàm nunc est, reddatur *l. quod dicitur 5. ff. de impens. in rem dot. fact.* Sicut itaq; necessariæ impensæ à fine describuntur, ita etiam utiles. *Necessariæ* sunt, quæ rem salvam & in suo statu conservant. *Utiles* verò, quæ non solum rem conservant, verùm etiam meliorem reddunt, & augent, veluti si oliveta & vineta fiant *Ulp. d. tit.* Illud notandum, pleraq; exemplorum hic relatorum tam utilibus quàm necessariis impensis adnumerari. Nam arbusti pastinationem, pistrinum, horreũ, Paulus utilibus impensis adscribit *h. l. n.* cum tamen ea inter necessarias impensas referantur *l. 7. § 3. sup. d. tit.* Sed hæc ita intelligi debent, ut si necessariò impensæ prædictæ fiant, necessariis impensis adnumerentur *d. § 3. ver. necessariò.* At si ultra quam necesse fuerit, uti *lex nostra*

nostra ait, h. e. si non necessariò factæ sunt, utilium loco habebuntur *ut hic.*

AD §. II.

Voluptuariæ impensæ sunt, quæ speciem duntaxat exornant, non etiam fructum augent: ut sunt viridia, & aquæ salientes, incrustationes, loricationes, picturæ.

VOluptuariæ impensæ sunt, quæ ad voluptatem fiunt, quæ speciem tantùm exornant, fructum non augent *l. 7. de impens. in rem dot. fact.* puta, viridaria, aquæ salientes *h. l. n.* Quamvis enim nemo sit, qui non elegantiæ, ornatui atq; voluptati aliquid largiatur; impensas tamen in rem alienam factas æstimamus ex domini persona, an ipsi sint usui, non etiam an speciem saltem exornent *l. in fundo 38. de rei vendicat. l. sed an ultrò 10. §. 1. de negot. gest. l. utilium 8. de impens. in res dot.* Boni enim patrisfamilias est, frugalem & ad rem attentum esse, & id operam dare, ut fructus augeat & ditescat.

AD L. LXXX.

In generali repetitione legatorum etiam datæ libertates continentur, ex mente legis XII. tabularum.

USa est antiquitas Romana rerum nominibus in maximè generali & indistinctâ significatione: cujus res ostendendæ causa, sufficiat nunc ipsum legati verbum. Nam ut Pomponius ait; verbis Legis XII. tabb. his: *Uti quisq; legasset suæ rei, ita jus esto*: latissima potestas tributa est, & heredes instituendi, & legata libertatesq; dandi, tutelas quoq; constituendi *l. ver-*

l. verbis legis 120. inf. h. tit. Quò pertinet *hæc lex nostra*, quæ in generali repetitione legatorum, datas libertates ex Legis XII tabb. mente h. e. sententia, quâ per legatum libertates significantur, contineri ait, E. G. Primum heredem scripsi, ab eo legata reliqui, libertates servis dedi, filiis tutores constitui &c. Postea in hunc modum adjeci: Si primus heres non erit, secundus heres esto, qui legata à primo relicta dabit. In hac generali repetitione legatorũ, libertates quoq; continentur, *ut hîc & l. 77. de legat. 3.* Verùm posteritas experientia ipsa melius edocta, specialiora nomina rebus imponere cæpit. Et rectè. Commodius enim est singulas causas singulis appellationibus distingui *§. alio autem Instit. Quib. mod. testam. infirm.* Id quod eodem legati verbo comprobare licet. Nam ut JCtus *in d. l. legis verbis.* Sed id, *inquit*, interpretatione coangustatum est, vel legum, vel authoritate jura constituentium. Et ita quidem coangustatum est, ut legatum propriè nihil aliud sit, quàm donatio à defuncto relicta *§. 1. Instit. de legatis.*

AD L. LXXXI.

Cum Prætor dicat, ut opus factum restituatur, *etiam damnum datum actor consequi debet: nam verbo* restitutionis *omnis utilitas actoris continetur.*

QUod superius de latâ verbi *restituere* significatione, *ad l. 22. 35. & 75.* dicta, ea hoc loco Paulus exemplo quodam illustravit. Si enim Prætor dicat h. e. interdicat, ut opus factum restituatur, omne damnum datum actor consequitur. E. G. Si is cui nunciatio novi operis facta erat, ante remissionem

vel

vel satisdationem nunciationi non paruerit, sed nihilominus cementa posuerit vel deposuerit, à Prætore opus factum restituere jubeatur, non tantùm quidquid post nunciationem ante remissionem vel satisdationem fecerit, restituet, sed & ob damnum, si quod eo facto dedit, tenebitur; Et Actori omnem utilitatem, si quæ abest, præstabit. Aliud exemplum potest poni ex interdicto. Quod vi aut clam *l. 1. & tot tit. ff. Quod vi aut clam.*

Ad L. LXXXII.

Verbum amplius, *ad eum quoq; pertinet, cui nihil debetur; Sicut ex contrario minus solutum videtur, quando nihil esset exactum.*

Verbum *amplius* in propria & genuina significatione comparativi gradus est: Hinc qui *amplius* agi, vel *amplius* non peti promisit, de eo quod semel petitum est, amplius se non acturum cavet *l. 23. ff. rem rat. hab.* Hinc si ita legatum sit: Centum Titio do lego, hoc amplius X. Titio do lego; Verbum *Amplius* ad præcedens legatum se refert: & non tantum centum sed & decem debentur *l. 27. in pr. l. 33. in fin. de legat. 3.* Simili ratione si purè tibi legavero X, hoc amplius sub conditione, si navis ex Asia venerit fundum: verbo *amplius* superiora decem repetuntur *l. 54. de legat. 3.* h. e. verbum *amplius* refert se ad prius legatum, ita ut decem non tantùm purè debeantur, sed hoc amplius sub conditione fundus etiam debeatur. Deniq; verbum *amplius* ad eum quoq; pertinet, cui nihil debetur *ut h. l.n.* Nam *in l. 108. §. 8. de legat. 1.* Si ei cui nihil legatum erat, h. e.

h. e. cui nihil debebatur, uti hoc loco ſcriptum eſt, cum hac adjectione legetur, hoc Amplius Titio do lego centum, nihil ultra centum deberi JCtus reſpondit. Ut itaq; minus ſolviſſe dicitur, qui nihil ſolvit: cum minus nihilo eſſe non poſſit, & nihil ſit omnium maximum: ita ex natura contrariorum & correlatorum, amplius exegiſſe dicendus erit, qui exegit aliquid, cum nihil ei deberetur. Id enim quod exigit, eo quod exigere debebat amplius eſt, nihilo ſcilicet *l. 1. §. hæc verba 11. ff. ſi cui plus quàm per leg. Falcid. l. amplius non peti 15. ff. rem rat. hab.*

AD L. LXXXIII.

Propriè bona dici non poſſunt, quæ plus incommodi quàm commodi habent.

HOc reſponſum continet interpretationem bonorum, & pendet ex iis quæ *ad l. ſubſignatum 39. §. bona & bonorum 49. ſup. h. tit.* dicta ſunt. Quin & ſententia per ſe eſt plana. *Bona ſc. propriè non intelligi, nec dici poſſe, quæ plus incommodi quàm commodi habent.* Atq; hinc eſt, quòd bona non intelliguntur, niſi quæ ære alieno deducto ſuperſunt *d. l. ſubſignatum 39. §. bona.* Naturaliter enim bona ex eo dicuntur, quòd beent h. e. beatos faciant. Beare autem eſt prodeſſe, commodum adferre *d. l. bonorum 49.*

AD L. LXXXIV.

Filii appellatione omnes liberos intelligimus.

ALiud eſt filius & filia, aliud nepos & neptis *l. 6. de teſtam. tut.* Illi primo, hi ſecundo ſunt gradu *l. JCtus §. 12. & ſeq. de gradib.* Quinimò ſi verborum figuram ſequaris, *ut ait l. 116. h. tit.* aliud erit filius, aliud

aliud filia. Hinc filio datus tutor, filiæ non censetur datus. Quod usq; adeò verum est, ut si prius testator in singulari, deinde in plurali numero scripserit, ita: Filio, filiisque meis hosce tutores do, masculis duntaxat tutores datos intelligi Servius adfirmârit *l. 122. h. tit.* Quod sc. à singulari casu h. e. filio, transierit ad pluralem numerum, eundem sexum continentem, quem singularis prius positus habuerit *d. l. 122. fac. d. l. 116. h. tit.* ubi filij appellatione filiam contineri Labeo negat. A prædictis, posthumus & posthuma differunt; quia hi filij nascituri; illi nati sunt. Quo fit, ut posthumæ appellationem in eam quæ in rebus humanis est, non cadere, responsum est. *l. 164. in pr. h. tit.* Quod tamen in casu *l. 16. ff. de testam. tut.* fallit: ubi, si posthumis dentur tutores, & illi vivo testatore nascantur, datio tutoris nihilominus utilis est. Sed hoc ideò, quòd tempore dati tutoris fuerint adhuc in utero. Non autem debet, quod semel utiliter constitutum est, per inutile superveniens vitiari. Ex quibus ita concludere licet: Eum qui quid filijs suis solis præstitum vult, filiorum appellatione; qui nepotibus tantùm, nepotum appellatione, & sic deinceps uti debere. Qui verò universo suo generi ex se descendenti aliquid vult præstitum, liberorum appellatione uti debere *l. 220. h. tit.* Nam liberorum appellatione omnes, qui ex nobis progeniti & editi sunt, intelligimus, tam filios, quàm nepotes, & pronepotes, cæterosq; in infinitum descendentes *d. l. 220. in pr. &* § 2. tam fœminini quàm masculini sexus, tam extra potestatem, quàm in potestate constitutas personas *l. 56. §. 1. sup. h. tit.* Verùm

nim his quæ diximus obstat *hæc lex nostra*: quæ filij appellatione omnes liberos contineri ait: ubi placet solutio illa, quâ dicitur; vel ex voluntatis præsumtione, vel etiam ex justa interpretatione omnes nepotes filij appellatione contineri. Voluntatis præsumtio est *in l. 41. §. 5. de legat. 3.* ex qua desumta est *d. l. 220. h. tit.* ubi filiorum legato, nepotes quoque continentur. Justa interpretatio nihil aliud est quàm juris interpretatio, puta, quod in SCto Macedoniano, quo filijs prospectum est, nepotes quoq; & cæteri contineantur *l. pen. C. ad SC. Macedon.*. Item in SCto, quo cavetur, ne pupilli tutoris filio elocetur, filij appellatione nepos, cæteriq; continentur *l. 59. de rit. nupt.* Atq; hinc est, quòd Jabolenus *in l. 116. inf. h. tit.* sententiam Labeonis verborum figuram sequentis rejiciat, approbata Proculi opinione in mẽte testantis fundata, ut filij appellatione filia quoq; contineatur. Et verò natura ipsa nos docet, parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt, filiorum appellatione omnes qui ex nobis descendunt, contineri *d. l. 116. §. 3.*

AD L. LXXXV.

Neratius priscus tres facere existimat collegium, & hoc magis sequendum est.

COllegium hoc loco accipitur pro certo corpore, universitate, societate; qualia sunt JCtorũ *l. 2. C. de vet. jure enucl.* Medicorum *tot. tit. C. de professorib. & Medicis lib 10.* Pistorum, & aliorum artificum *Cujat. 16. observ. 5.* unde patet, in hac significatione, collegij nomen esse collectivum; ad cujus constitunem ad minimum tres requiruntur *h. l. n.* ut enim in

aliud filia. Hinc filio datus tutor, filiæ non censetur datus. Quod usq; adeò verum est, ut si prius testator in singulari, deinde in plurali numero scripserit, ita : Filio, filiisque meis hosce tutores do, masculis duntaxat tutores datos intelligi Servius adfirmârit *l. 122. h. tit.* Quod sc. à singulari casu h. e. filio, transierit ad pluralem numerum, eundem sexum continentem, quem singularis prius positus habuerit *d. l. 122. fac. d. l. 116. h. tit.* ubi filij appellatione filiam contineri Labeo negat. A prædictis, posthumus & posthuma differunt; quia hi filij nascituri; illi nati sunt. Quo fit, ut posthumæ appellationem in eam quæ in rebus humanis est, non cadere, responsum est. *l. 164. in pr. h. tit.* Quod tamen in casu *l. 16. ff. de testam. tut.* fallit: ubi, si posthumis dentur tutores, & illi vivo testatore nascantur, datio tutoris nihilominus utilis est. Sed hoc ideò, quòd tempore dati tutoris fuerint adhuc in utero. Non autem debet, quod semel utiliter constitutum est, per inutile superveniens vitiari. Ex quibus ita concludere licet: Eum qui quid filijs suis solis præstitum vult, filiorum appellatione; qui nepotibus tantùm, nepotum appellatione, & sic deinceps uti debere. Qui verò universo suo generi ex se descendenti aliquid vult præstitum, liberorum appellatione uti debere *l. 220. h. tit.* Nam liberorum appellatione omnes, qui ex nobis progeniti & editi sunt, intelligimus, tam filios, quàm nepotes, & pronepotes, cæterosq; in infinitum descendentes *d. l. 220. in pr. &* § 2. tam fœminini quàm masculini sexus, tam extra potestatem, quàm in potestate constitutas personas *l. 56. §. 1. sup. h. tit.* Verùm

nim his quæ diximus obstat *hæc lex nostra*: quæ filij appellatione omnes liberos contineri ait: ubi placet solutio illa, quâ dicitur; vel ex voluntatis præsumtione, vel etiam ex justa interpretatione omnes nepotes filij appellatione contineri. Voluntatis præsumtio est *in l. 41. §. 5. de legat.* 3. ex qua desumta est *d. l. 220. h. tit.* ubi filiorum legato, nepotes quoque continentur. Justa interpretatio nihil aliud est quàm juris interpretatio, puta, quod in SCto Macedoniano, quo filijs prospectum est, nepotes quoq; & cæteri contineantur *l. pen. C. ad SC. Macedon..* Item in SCto, quo cavetur, ne pupilli tutoris filio elocetur, filij appellatione nepos, cæteriq; continentur *l. 59. de rit. nupt.* Atq; hinc est, quòd Jabolenus *in l. 116. inf. h. tit.* sententiam Labeonis verborum figuram sequentis rejiciat, approbata Proculi opinione in mẽte testantis fundata, ut filij appellatione filia quoq; contineatur. Et verò natura ipsa nos docet, parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt, filiorum appellatione omnes qui ex nobis descendunt, contineri *d. l. 116. §. 3.*

AD L. LXXXV.

Neratius priscus tres facere existimat collegium, & hoc magis sequendum est.

COllegium hoc loco accipitur pro certo corpore, universitate, societate; qualia sunt JCtorũ *l. 2. C. de vet. jure enucl.* Medicorum *tot. tit. C. de professorib. & Medicis lib 10.* Pistorum, & aliorum artificum *Cujat. 16. observ.* 5. unde patet, in hac significatione, collegij nomen esse collectivum; ad cujus constitunem ad minimum tres requiruntur *h. l. n.* ut enim in

 arbi-

arbitrijs propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, tres potissimum, ita hic (plures res quin esse possint in Collegio, non negat JCtus) totidem assumuntur *l. item si unus 17. §. principaliter 6. de recept. qui arbitr. recip.* Dixi tres requiri ad collegii constitutionem. Nam collegium ejusq; jura per unum sive in uno conservantur *l. sicut. 7. §. ult. ff. Quod cujusq; univ. nom. l. filiusfamilias 114. §. pen. de legat. 2.* quia sc. ex eo universitas redire potest, & proinde quam diu hæc spes superest, & quod alii surrogabuntur, potius naturæ suæ conservatur, quàm in aliam transfertur *arg. l. si unus 27. §. pactus 2. vers. quod si non ut totum ff. de part. l. si grege legato 22. de legat. 1.*

AD L. LXXXVI.

Quid aliud sunt jura prædiorum, quàm prædia qualiter se habentia? ut bonitas, salubritas, amplitudo.

Titius condemnatus est, vel promisit prædia tradere cum suis juribus; quæritur itaq;, quid sint jura prædiorum? Celsus ea generaliter ab adjunctis definit, nempe *à bonitate*, quæ terræ fertilitatem, immunitatem, libertatem, situm & cætum continet, *à salubritate*, quæ ipsius terræ innatam potentiam respicit, & in graminis & fructuum salubri proventu consistit, cujusmodi est agrum non esse pestilentem *l. etiam 49. de ædil. edict.* in quo herba nascatur, quâ pecora vel homines pereant *l. sed addes 19. §. 1. locat.* Deniq; *ab amplitudine*, quæ modum & fines, sive longitudinem & latitudinem fundi definit *l. si in qualitate 22. de act. emt. Godd. ad h. l. n. 3. & 4.* Non itaq; dicendum est, hoc loco servitutum definitionem

nem tradi, quòd servitutes sint jura prædiorum, qualiter se habentia: quorum opinionem Cujatius *9. obs. 37.* ea ratione refutat; quòd jus emphyteuticum sit jus prædij qualiter se habens. Nec tamen servitus dici possit. Et rectè, uti exempla subjecta docent. Nam salubritatem, bonitatem, amplitudinem non prædijs tantum, quæ vel servitutem debent, vel quibus servitus debetur; sed & alijs quibuscunq; tribui posse, manifestum est. Inde si quis prædia cum suis juribus, h. e. cum suis qualitatibus, vel cum suo habitu *ut est in l. 12. Quemadm. serv. amitt.* distrahat, bonitatem, salubritatem, amplitudinem; & deniq; jus omne, quod vel prædijs impositum, vel prædijs acquisitum est, vendit *d. l. 12. & h. l. n.*

AD L. LXXXVII.

Ut Alphenus ait, urbs est Roma, quæ muro cingeretur. Roma est etiam, quâ continentia ædificia essent: nam Romam non murotenus existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi, cum diceremus, Romam nos ire, etiamsi extra urbem habitaremus.

ROma urbs est: Sed Roma hoc habet amplius, quod non finiatur muris, sed continentibus ædificijs. Continentia ædificia sunt urbi cohærentia: quod ex ædificantium intentione usuq; dependet judicis arbitrio æstimandis *Menoch. de arb. jud. quæst. 155.* Ad urbem satis est, muro eam finiri; sed non adeò hæc vel illa urbs, si extra murum habeat ædificia continentia, ob id desinit urbs esse: hoc enim peculiariter habet ultra genus *h. l. n.* Et quidem urbes ferè omnes murotenus finiti, Romam continentibus, & urbem Romam æquè continentibus, Pau-

Jus notavit *in l. nam quod 4. §. si ita 4. de penu legat.* Quod si quæ urbs est præter Romam, quæ reapse murotenus non finitur, sed ædificia habent cohærentia, quid causæ est, cur nomen illius proprium non comprehendat, & hæc ipsa, & appellatio rei appellatæ confirmetur? *arg. l. 6. de reb. cred.* Inprimis si id ex consuetudine quotidiana æquè possit intelligi, cum diceremus, Gryphiswaldum, Stralsundum, aut in aliam urbem nos ire, etiamsi extra urbem habitaremus *h. l. n.*

Ad L. LXXXVIII.

Tantum quisq; pecuniæ relinquit, quantum ex bonis ejus refici potest. Sic dicimus, centies aureorum habere, *qui tantum in prædiis, cæterisq; similibus rebus habet. Non idem est in fundo alieno legato: quanquam is hereditaria pecunia parari potest. Neq; quisquam eum, qui pecuniam numeratam habet, habere dicit, quicquid ex ea parari potest.*

PEcuniæ appellatio inter cætera ad pecuniam numeratam sive nummos pertinet *l. 4. & l. 5. sup. h. tit.* Qua in significatione dicit hoc loco JCtus, *Tantum pecuniæ unumquemq; reliquisse. quantum ex bonis ejus refici potest.* Exemplum ponitur in eo, qui prædia habet centum aureorum, ut is aureos centum habere intelligatur; quia ex prædijs ipsius centum aurei refici possint. Planè id quod pecunia nostra comparare nobis possumus, in bonis nostris esse non dicemus: Unde si fundum alienum legaverimus, non ideò eum in bonis nostris fuisse adfirmabimus, quod ex pecunia nostra comparari potuerit, vel etiamnum possit *h. l. n.*

Ad

AD L. LXXXIX.

Boves magis armentorum, quàm jumentorum generis appellantur.

JUmenta à jungendo dicta, quòd currui jungantur *Gell. lib. 20. noct. Attic. cap. 1.* Armenta verò ab arando vel armis h. e. humeris, quibus laborem & onus sibi injunctum perficiunt, (veluti faciunt equi & boves aratro adhibiti). Ex quo perspicuum fit, quare Pomponius boves armentorum magis, quàm jumentorum nomine appellari dixerit. Rectè autem *magis*: quod hoc loco comparationem significat: nam boves jumentis adnumerantur ab alijs authoribus. Jumentis ergò legatis, si non appareant testatorem de bobus quoq; sensisse, magis est, ut boves non legatos esse respondeamus *h. l. n.*

AD §. 1.

Hoc sermone, dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur.

LEgatum Titiæ relictum est, ut eo fruatur, dum nupta erit, primas nuptias significat: atq; inde si fortè marito iterum nubat, legatum non debebitur, quia sc. hoc sermone primæ nuptiæ significantur. Ita quoq; si dos marito detur, ut eam habeat dum conjux ipsi nupta fuerit, mortuâ conjuge, etsi aliam iterum ducat, dos tamen restituenda erit, *arg. 63. ff. de jure dot.*

AD §. 2.

Inter edere & reddere rationes, multum interest: nec is qui edere jussus sit, reliquum reddere debet. Nam & argentarius edere rationem videtur; etiamsi quod reliquum sit apud eum, non solvat.

ALiud est edere, aliud reddere rationes; illud minus, hoc plus & majus est. Nam & argentarius edere rationem videtur, etiamsi quod reliquum sit, apud eum, non solvat *h.l.n.* Illud consistit in dispunctione & comparatione tantùm; hoc non in computatione, sed etiam in pecuniæ datione. Illud est chartas tantùm, in quibus rationes perscriptæ sunt, tradere, ut perlegantur; hoc est, non solum rationes legendas & computandas traditis libris rationum, cautionum, instrumentorum, & omnium quæ ad eam rem pertinent, dare; sed etiam eò amplius reliqua solvere in solidum *l. non solum §. is qui reddere ff. de liberat. leg. l. Sticho §. argentarius ff. de stat. lib.* Solvere autem in effectu accipimus, ut non in folle tantum h. e. in sacculo *l. 3. §. 6. de stat. lib.* sed ut ad numerationem pecuniæ perveniat *l. 82. de condit. & demonstr.*

AD L. XC.

Qui, uti optimæ maximæq; sunt, ædes tradit: non hoc dicit, servitutem illis deberi: sed illud solum, ipsas ædes liberas esse, hoc est, nulli servire.

PErtinet *hæc lex* ad ædium venditionem, hac lege, *uti optimæ maximæq; sint*, factam. Quæ venditionis lex eum habet effectum, ut ædes liberæ & immunes ab omni servitute præstentur, non etiam ut jus aliquod sive servitutem sibi acquisitam habeant, *h. l. n.* Eadem ratio est fundi, cæterarumq; rerum venditarum *l. 59. de contrah. empt.* Procedunt hæc tam in contractibus *ut h. l. & d. l. 58.* quàm in legatis *l. 69. §. 3. de legat. 1.* Planè si dum hæc lex (*uti opti-*

optimus maximusq́ est fundus) adjicitur, venditor subjecerit (*jus fundi vel ædium deterius per se non factum*) fundus vel ædes ab illa tantùm servitute, quam venditor imposuerit, liberæ debebuntur *l. 169. & l. 126. h. tit.* posterior enim conventionis lex servari debet.

AD L. XCI.

Meorum & tuorum appellatione, actiones quoq; contineri dicendum est.

MEum est, quod in dominio meo est. Tuum, quod tui dominij est. Sed & si quid ego vel tu in actionibus habeamus, id meum vel tuum rectè dicetur Meorum enim & tuorum appellatione etiã actiones continentur *h. l. n.* Hinc qui omnia sua bona heredi in testamento adscripsit, eaque per fideicommissum alteri restitui jussit, ut actiones quoque restituerentur, voluisse censetur *l. 30. § . 1. ff. ad Trebell.* Neq; id mirum, cum is qui actionem ad rem recuperandam habet, ipsam rem habere dicatur *l. is qui ff. de reg. jur.*

AD L. XCII.

Proximus est, quem nemo antecedit: Supremus est, quem nemo sequitur.

ETsi proximus comparatione ultimi; supremus autem vel ultimus comparatione primi utplurimum dicatur: Qua ratione *proximus* dicitur, quo nemo prior est gradu, *supremus*, quo nemo gradu est posterior *h. l. n.* Tamen in Leg. XII. tabb. is etiam qui solus est, proximus vel supremus intelligitur *l. 155. h. tit.* Inde, exempli causa, si in substitutione ita scriptum sit; Ei qui supremus morietur, Titium substituo

stituo, rectè Titius substitutus intelligitur, etiam unico *l. 162. in pr. h. tit. l. 34. de vulg. subst.* Quemadmodum in lege XII. tabb., ubi proximo hereditas defertur, sufficit, si vel unus sit. Illud notandum: Etsi Grammaticis *proximus* Superlativus sit, & ideò ex natura sua Positivum præsupponere deberet *l. ubi ff. de verb. oblig.* Hoc tamen in jure non servari, sed quandoq; positivi significationem habere, à quo fiat comparativus proximior *ut, in l. 1. §. si quis proximior ff. unde cogn.* .

Ad L. XCIII.

Moventium, item mobilium appellatione idem significamus; Si tamen apparet, defunctum animalia duntaxat, quia seipsa moverent, moventia vocasse: quod verum est.

RES alias esse mobiles, alias verò immobiles sive soli: & has ab illis multum differre, non est incognitum. *Sed an & quomodo res moventes à mobilibus distinguantur?* obscurius est. Celsus hoc loco illa duo confundit, quasi nihil discriminis sit *inter moventia & mobilia*: Sed testatoris mentem potius, quàm proprietatem verborum ipsius secutus. Proinde *moventibus legatis* omnia mobilia debebuntur, si appareat testatorem moventia illa etiam dixisse, quæ propriè mobilia dicuntur h. e. quæ se ipsa moverent, ut hoc loco JCtus loquitur. Et quod usus promiscuè has voces usurpet, non solum patet ex *h. l. n.* sed & ex *l. ult. de donat. l. Titia 48. de solut. l. si fidejussor 2. §. fin. Qui satisd. cog. l. à Divo pio 15. §. in venditione 2. de re judic. l. 1. §. 1. de rei vendicat. cum similib.*

AD L. XCIV.

Verbum reddendi *quanquam significatum habet retro dandi; recipit tamen & per se dandi significationem.*

SI verbi *reddere* proprietatem intueâris, *Reddere* nihil aliud est, quàm id quod datum est retrò dare, ut in deposito, commodato, pignore, &c. & à verbo *dare* longè differt: Quippe quod *dare* propriè sit de suo dare *l. 1. §. eleganter ff. depositi.* Hinc si servus qui C. ad negotiandum acceperat, sub ea conditione liber esse jussus sit, *si centum daret heredi*, centum illis, quæ ad negotiandum acceperat, additis, non videtur conditionem implevisse: Reddidit enim centum h. e. quæ data erant restituit; non etiam dedit centum de suo *l. 39. §. 2. de stat. liber.* Et hæc de propria verbi *reddere* significatione vera sunt: Extra quam *reddere* etiam is dicitur, qui dare jussus erat *ut h. l. n.* Hinc si ita in testamento scriptum sit, Heres meus damnus esto Lucio Titio Stichum servum meũ reddere *l. 100. ff. de legat. 3.* heres liberatur dando Stichum, etiamsi is antea heredi traditus non fuerit: quia sc. qui reddere jubetur, simul & dare jubetur *d. l. 100.*

AD L. XCV.

Potest reliquorum *appellatio & universos significare.*

HÆc lex pertinet ad legatum optionis. Nam si testator quinq; fortè servos habens, ita scripserit; *Titio & servis meis quinq; optionem relinquo.* cæteros Pamphilo do, lego; Si Titius servum optare &

eligere nolit, omnes quinq; Pamphili erunt. Cæterorum enim & reliquorum appellatione etiam omnes continentur, ut Marcellus ait *l. 160. inf. h. tit.*

AD L. XCVI.

Littus est, quousq; maximus fluctus à mari pervenit: idq; Marcum Tullium, cum arbiter esset, primum constituisse.

QUod in maris littore invenitur, nullius in bonis esse, atq; adeò inventui cedere constat: quod enim nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Sed quæritur: quousq; maris littus se extendat? Et definit JCtus *hoc loco*: littus esse, quousq; maximus fluctus à mari provenit; sive quatenus maximus fluctus exæstuat, *h. l. n. & l. 112. eod.*

AD §. I.

Prædia dicimus aliquorum esse, non utiq; communiter habentium ea, sed vel alio aliud habente.

RES vel pro diviso, vel pro indiviso possidentur *l. 25. eod.* has communiter, illas divisim possidemus. Et illæ quidem propriè totum, hæ partes sunt. Sed tamen uti Servius existimat, res pro indiviso pars dici possunt *d. l. 15.* cujus responsi authoritate defendi potest, prædia aliquorum dici, non tantùm ea, quæ communiter possidentur, sed etsi alius aliud possideat: atq; inde si prædia ad familiam Brutorum fortè pertinentia ex divisione paris vel diversi gradus agnati possideant, ita ut quilibet suum habeat, prædia illa nihilominus reliquorum esse, h. e. ad illam familiam Brutorum pertinere dicemus.

AD

AD L. XCVII.

Cum stipulamur, Quanta pecunia ex hereditate Titij ad te pervenerit: *res ipsas quæ pervenerunt, non pretia earum spectare videmur.*

QUamvis pecuniæ appellatione in speciali & propria significatione pecunia numerata intelligatur; tamen in hereditatis quæstione, & illa stipulatione, *Quanta pecunia ex hereditate Titij ad te pervenerit*, res ipsas hereditarias, non rerum pretia intelligimus; Aliud enim est res, longè aliud rei pretium *l. 28. de novat.* Et ita hereditate vendita ab herede, quia totum jus quod defunctus habuit, venditum fuit *l. nihil aliud 24. h. tit.* & defunctus, si ipse sua bona vendidisset, præcisè illa tradere coactus fuisset Paul. 1. *sent. 13. §. aliæ autem 2. Instit. de donat*: Idcircò & heres præcisè bona illa hereditaria bona tradere tenetur *l. qui filijfamilias* 14. §. *fin. de hered. vel act. vend. l. quisquis 95. de legat.* 3. adeoq; & stipulando emtor de corporibus tradendis, non de æstimatione eorum sensisse videri debet *Godd. h. l. n. sub n. 1.*

AD L. XCVIII.

Cum bisextum Kalendis est, nihil refert, utrum priore, an posteriore die quis natus sit, & deinceps sextum Kalendas ejus natalis dies est. Nam id biduum pro uno die habetur: sed posterior dies intercalatur, non prior. Ideo quo anno intercalatũ non est, sexto Kalendas natus, cum bisextũ Kalendis est, priorẽ diem natalẽ habet. Cato putat mensem intercalarem addititiũ esse: omnesq; ejus dies pro momento temporis observat, extremoq; die mensis Februarij attribuit Quintus Mucius. Mensis autem intercalaris constat ex diebus viginti octo,

Cum

CUm annus 365. diebus & quadrante ſive ſex horis conſtaret, Julius Cæſar annum 365. diebus concluſit; & quadrantem quarto quoquo intercalavit & intervocavit ad ſextum ſc. Cal. Martij. Quo factum eſt, ut bini dies illo anno in ſextum Cal. Mart. reperirentur, qui biſſextus dicebatur, *ut hîc*; ubi dum JCtus dicit: *Cum biſſextum Kal. eſt*, nihil aliud ſignificare vult, quàm cum ſextus dies Cal. Martij bis in Calendario ponitur. Tractavit verò Celſus *lib. 39. Digeſt.* uti ex *l. 3. §. minorem ff. de minorib.* planiſſimum eſt, quæſtionem illam de minore, qui biſexto natus eſt, utrum priorem aut poſteriorem diem natalem habeat? Et quidem ſimpliciter reſpondet, Celſum *in d. §. minorem* diem ſextum Cal. natalem ejus eſſe, neque referre, quod biſextus fuerit: nam illud biduum pro uno die numerari *ut hîc*. Exempli cauſa: Naſcitur quis anni intercalaris poſteriori die, anno ſequenti, qui non eſt intercalaris, quæritur, quomodo ejus dies natalis computandus ſit? Dubitationem movet, quod poſterior ille dies hoc anno non poſſit computari, cum nullus ſit, atq; ideò quod nullum is diem natalem habere poſſit. Verùm quia biſextus ille pro uno die computatur, ſequitur, eum qui poſteriore anni biſextilis die natus eſt: Sexto Cal. Martij pro natali haberi *Alciat. & Godd. ad h. l.*

Ad L. XCIX.

Notionem accipere poſſumus, & cognitionem & juriſdictionem.

Notio

NOtio nomen generis eſt, & ſub ſe cognitionem ac juriſdictionem complectitur. Juriſdictio eſt notio, quæ jure magiſtratus competit *l. 1. in pr. de offic.* Magiſtratus eſt perſona publica, quæ pro tribunali jus dicit. Cognitio nihil aliud eſt, quàm Prætoris decretum *l. 9. §. 1. de offic. proconſ.* Planè notionem non tantùm ad Magiſtratus, ſed etiam ad alios judices quoscunq; ſive ordinarios, ſive delegatos, ſive etiam arbitros pertinere, non eſt incognitum *l. 5. de re judic.*

AD §. I.

Continentes provincias accipere debemus eas, quæ Italiæ junctæ ſunt; utputa Galliam: ſed & provinciam Siciliam magis inter continentes accipere nos oportet, quæ modico freto Italia dividitur.

PRovinciæ aliæ erant continentes, aliæ transmarinæ, Illæ quaſi junctæ, hæ freto vel mari disjunctæ & ſeparatæ erant: Secundum quam definitionem, quin Gallia provincijs continentibus Italiæ adnumeranda ſit, nulla dubitatio eſt. De Sicilia dubitari poterat: ſed tamen quia modico freto tantùm dividitur, inter continentes accipi debet. Idq; vel eò magis, quod Inſulæ Italiæ ſint ipſius Italiæ pars *l. 9. de judic.* Provinciæ ſunt, ad quas gubernandas Præſides à Principe mittebantur *tot. tit. de offic. Præſidis.* Diſtinctionem verò provinciarum ideò hoc refert JCtus, uti *ex §. ſeq.* apparet, quod aliter dilatio danda ſit, ſi ex continentibus, aliter ſi ex transmarinis provinciis & locis inſtrumenta petuntur *l. 1. C. de dilat.*

AD

AD §. 2.

Instrumentorum appellatione quæ comprehenduntur, perquam difficile erit separare. Quæ enim propriè sint instrumenta, propter quæ dilatio danda sit, inde dignoscemus, si in præsentiam personæ, quæ instruere poßit, dilatio petatur: puta, qui actum gessit, licet in servitute, vel qui actor fuit constitutus: putem videri instrumentorum causa peti dilationem.

DIlatio petitur maximè instrumentorum & personarum exhibendarum gratiâ, item instruendi judicis, & instruendæ intentionis suæ causâ, ut ex Provincijs Codices sive instrumenta adferantur *l. argentarium. de judic.* ut personæ, quæ instruere possint, producantur, *ut hic.* Difficile verò est, teste Ulpiano, instrumentum à personis separare; quia ea etiam, quæ in personarum, quæ instruere possint, præsentiam petitur dilatio, propter instrumenta plerumq; peti videtur; puta, ut personæ testentur, se actum illud de quo instrumenta mentionem faciunt, gessisse. *Alciat. & Godd. ad h. l.* Cæterum servus testimonij dictionem non habet: nam Terentio *in Phor. act. 2. sc. 1.* referente, servū hominū causas orare leges non sinunt. Dicendum est, hominem servum extrajudiciales actus peragere posse, & de ijs testimonium dicere non prohiberi liberum factum: nam tempus testimonij ferendi respicimus, ut quis rectè testimonium dicat *Godd. h. l. n. num. 5.*

AD L. C.

Speciosas personas accipere debemus clarißimas personas utriusq; sexus; item eorum, qui ornamentis senatorijs utuntur.

Spe-

SPeciosas personas JCtus *hoc loco* accipiendas docet de clarissimis. Clarissimatus species dignitatis est. Non verò tantùm speciosas personas accipimus tantùm de ipsis, qui sua virtute clarissimatus dignitate gaudent, sed & de illis etiam qui aliorum dignitatis radijs splendescunt, sive masculi sint, sive fœminæ, veluti liberi, uxores senatorum. Nam sic Ulpianus determinat de sexu utroq;, ut scilicet speciosæ sint eadem ratione, qua & clarissimæ *l. fin. de senatorib.* Imò & de illis asseverat, qui cum Senatores non sint, ornamentis tamen Senatorijs utuntur; quæ ornamenta Senatoria recenset Cujatius *hîc.* Speciosæ igitur personæ dicuntur, quæcunq; in genere sub clarissimis continentur, & quidem utriusque sexus. Licet enim dignitates non sint sine munere publico *l. 1. §. sed an id 16. de collat.* cujus fœminæ regulariter capaces non sunt *l. 2. de reg. jur.* tamen communicatur filiabus & fœminis intuitu patris & mariti *l. fœminæ 8. ubi Faber de senat. l. mulieres 13. C. de dignit.*

AD L. CI.

Inter stuprum & adulterium hoc interesse quidam putant, quod adulterium in nuptam, stuprum in viduam committitur: Sed lex Julia de adulterijs hoc verbo indifferenter utitur.

STuprum & adulterium differunt inter se, sicut genus & species. Stupri enim appellatio generalior est, & adulterium tanquam speciem complectitur. *Mart. Detrio ad l. transigere n. 119. C. de transact.* Omne adulterium est stuprum; sed non vice versa; nisi adulterij voce abutaris, & speciem pro genere accipias.

pias. Neq; Modestinus *hoc loco* improbat eorum opinionem, qui differentiam inter stuprum & adulterium statuunt; sed tradit saltem eandem non usurpari in lege Julia; quia lex Julia utramq; vocem non solum stuprum, verum etiam adulterium generaliter accipit *l. hæc verba 12. l. mariti 29. §. 1. ff eod. l. Jul. de adult.*

Ad §. I.

Divortium inter virum & uxorem fieri dicitur: repudium verò sponsæ remitti videtur: quod in uxoris personam non absurdè cadit.

DIvortium ex eo dictum est, quod in diversas partes eant qui discedunt, *l. inter divortium 191. sup. h. tit.* Et est divortium, separatio inter maritos eo animo facta, ut nunquam redintegretur matrimonium: Si enim iracundiæ calore mulier abierit, & brevi reversa sit, divertisse non videtur *l. quidquid calore. de reg. jur.* Repudiari autem futurum matrimonium dicitur *d. l. inter 191.* unde repudium sponsæ remitti dicitur *h. l. n.* Et repudium nihil aliud est, quàm sponsalium renunciatio; quamvis & in uxoris personam non absurdè cadat *ut hic.* Aliàs divortium & repudium differre videntur, ut genus & species: Omne divortium potest dici repudium, sed non vice versa, omne repudium etiam est divortiū; cum repudium in specie acceptum, non quæsitum, sed quærendum sive futurum repudiet *l. 1. §. decretalis 7. de success. edict. l. 15. potest. 18. de acquir. hered.* Non absurdè autem & in personam uxoris cadit; quoniam conjunctioni futuræ renunciatur, & conditioni

ditioni ſecundum formulam in repudijs uſitatam : *Conditione tuâ non utor l. 2. de divort.* conditione ſc. conventa de nuptijs. *h. l. noſt. ubi Godd. & Alciat.*

AD §. 2.

Verum eſt, morbum *eſſe temporalem corporis imbecillitatem:* Vitium *verò perpetuum corporis impedimentum: veluti ſi talum excuſſit: nam & luſcus utiq; vitioſus eſt.*

HIc textus ad ædilitium edictum referri debet, quo ſervus vitioſus vel morboſus redhiberi jubetur. *l. 1. §. 1. de ædilit. edict.* Morbus eſt temporalis corporis imbecillitas. Vitium eſt perpetuum corporis impedimentum *h. l. n.* unde patet, utrumq; quidem corporis eſſe; ſed *morbum* imbecillitatem eſſe, *vitium* impedimentum : *morbum* eſſe temporalẽ, *vitium* verò perpetuum. Omnis quidem morbus eſt & vitium, cum omnis imbecillitas, quandiu eſt, etiã impedimentum ſit; & perpetuum in ſe contineat etiam temporis particulas : ſed ſunt impedimenta ſine imbecillitate, non temporalia tantùm, ſed etiam perpetua; conſequenter vitia ſine morbis: veluti ſi talum excuſſit, h. e. claudus ſit; aut ſi luſcus ſit *Godd. h. l. n.*

AD §. 3.

Servis legatis etiam ancillas deberi, quidam putant: quaſi commune nomen utrumq; ſexum nominat.

MAſculinum continet fœmininum *l. verbum hoc 1. ſup. h. tit. l. pronunciatio 195. pr. l. qui duos mulos 62. de legat. 3.* ubi JC. Julianus ait: Semper ſexus maſculinus fœmininum continet: inde ſervi appel-

ALiud est edere, aliud reddere rationes; illud minus, hoc plus & majus est. Nam & argentarius edere rationem videtur, etiamsi quod reliquum sit, apud eum, non solvat *h. l. n.* Illud consistit in dispunctione & comparatione tantùm; hoc non in computatione, sed etiam in pecuniæ datione. Illud est chartas tantùm, in quibus rationes perscriptæ sunt, tradere, ut perlegantur; hoc est, non solum rationes legendas & computandas traditis libris rationum, cautionum, instrumentorum, & omnium quæ ad eam rem pertinent, dare; sed etiam eò amplius reliqua solvere in solidum *l. non solum §. is qui reddere ff. de liberat. leg. l. Sticho §. argentarius ff. de stat. lib.* Solvere autem in effectu accipimus, ut non in folle tantum h. e. in sacculo *l. 3. §. 6. de stat. lib.* sed ut ad numerationem pecuniæ perveniat *l. 82. de condit. & demonstr.*

AD L. XC.

Qui, uti optimæ maximæq; sunt, ædes tradit: non hoc dicit, servitutem illis deberi: sed illud solum, ipsas ædes liberas esse, hoc est, nulli servire.

PErtinet *hæc lex* ad ædium venditionem, hac lege, *uti optimæ maximæq; sint*, factam. Quæ venditionis lex eum habet effectum, ut ædes liberæ & immunes ab omni servitute præstentur, non etiam ut jus aliquod sive servitutem sibi acquisitam habeant, *h. l. n.* Eadem ratio est fundi, cæterarumq; rerum venditarum *l. 59. de contrah. empt.* Procedunt hæc tam in contractibus *ut h. l. & d. l. 58.* quàm in legatis *l. 63. §. 3. de legat. 1.* Planè si dum hæc lex (*uti opti-*

optimus maximusq́; est fundus) adjicitur, venditor subjecerit (*jus fundi vel ædium deterius per se non factum*) fundus vel ædes ab illa tantùm servitute, quam venditor imposuerit, liberæ debebuntur *l. 169. & l. 126. h. tit.* posterior enim conventionis lex servari debet.

AD L. XCI.

Meorum & tuorum appellatione, actiones quoq; contineri dicendum est.

MEum est, quod in dominio meo est. Tuum, quod tui dominij est. Sed & si quid ego vel tu in actionibus habeamus, id meum vel tuum rectè dicetur Meorum enim & tuorum appellatione etiã actiones continentur *h. l. n.* Hinc qui omnia sua bona heredi in testamento adscripsit, eaque per fideicommissum alteri restitui jussit, ut actiones quoque restituerentur, voluisse censetur *l. 30. § .1. ff. ad Trebell.* Neq; id mirum, cum is qui actionem ad rem recuperandam habet, ipsam rem habere dicatur *l. is qui ff. de reg. jur.*

AD L. XCII.

Proximus est, quem nemo antecedit: Supremus est, quem nemo sequitur.

ETsi proximus comparatione ultimi; supremus autem vel ultimus comparatione primi utplurimum dicatur: Qua ratione *proximus* dicitur, quo nemo prior est gradu, *supremus*, quo nemo gradu est posterior *h. l. n.* Tamen in Leg. XII. tabb. is etiam qui solus est, proximus vel supremus intelligitur *l. 155. h. tit.* Inde, exempli causa, si in substitutione ita scriptum sit; Ei qui supremus morietur, Titium sub

stituo, rectè Titius substitutus intelligitur, etiam unico *l. 162. in pr. h. tit. l. 34. de vulg. subst.* Quemadmodum in lege XII. tabb., ubi proximo hereditas defertur, sufficit, si vel unus sit. Illud notandum: Etsi Grammaticis *proximus* Superlativus sit, & ideò ex natura sua Positivum præsupponere deberet *l. ubi ff. de verb. oblig.* Hoc tamen in jure non servari, sed quandoq; positivi significationem habere, à quo fiat comparativus proximior *ut, in l. 1. §. si quis proximior ff. unde cogn.*

AD L. XCIII.

Moventium, item mobilium appellatione idem significamus: Si tamen apparet, defunctum animalia duntaxat, quia seipsa moverent, moventia vocasse: quod verum est.

RES alias esse mobiles, alias verò immobiles sive soli: & has ab illis multum differre, non est incognitum. *Sed an & quomodo res moventes à mobilibus distinguantur?* obscurius est. Celsus hoc loco illa duo confundit, quasi nihil discriminis sit *inter moventia & mobilia*: Sed testatoris mentem potius, quàm proprietatem verborum ipsius secutus. Proinde *moventibus legatis* omnia mobilia debebuntur, si appareat testatorem moventia illa etiam dixisse, quæ propriè mobilia dicuntur h. e. quæ seipsa moverent, ut hoc loco JCtus loquitur. Et quod usus promiscuè has voces usurpet, non solum patet ex *h. l. n.* sed & ex *l. ult. de donat. l. Titia 48. de solut. l. si fidejussor 2. §. fin. Qui satisd. cog. l. à Divo pio 15. §. in venditione 2. de re judic. l. 1. §. 1. de rei vendicat. cum similib.*

AD

AD L. XCIV.

Verbum reddendi *quanquam significatum habet retro dandi; recipit tamen & per se dandi significationem.*

SI verbi *reddere* proprietatem intueäris, *Reddere* nihil aliud est, quàm id quod datum est retrò dare, ut in deposito, commodato, pignore, &c. & à verbo *dare* longè differt: Quippe quod *dare* propriè sit de suo dare *l. 1. §. eleganter ff. depositi.* Hinc si servus qui C. ad negotiandum acceperat, sub ea conditione liber esse jussus sit, *si centum daret heredi*, centum illis, quæ ad negotiandum acceperat, additis, non videtur conditionem implevisse: Reddidit enim centum h. e. quæ data erant restituit; non etiam dedit centum de suo *l. 39. §. 2. de stat. liber.* Et hæc de propria verbi *reddere* significatione vera sunt: Extra quam *reddere* etiam is dicitur, qui dare jussus erat *ut h. l. n.* Hinc si ita in testamento scriptum sit, Heres meus damnus esto Lucio Titio Stichum servum meũ reddere *l. 100. ff. de legat. 3.* heres liberatur dando Stichum, etiamsi is antea heredi traditus non fuerit: quia sc. qui reddere jubetur, simul & dare jubetur *d. l. 100.*

AD L. XCV.

Potest reliquorum *appellatio & universos significare.*

HÆc lex pertinet ad legatum optionis. Nam si testator quinq; fortè servos habens, ita scripserit; *Titio & servis meis quinq; optionem relinquo.* cæteros Pamphilo do, lego; Si Titius servum optare &

eligere nolit, omnes quinq; Pamphili erunt. Cæterorum enim & reliquorum appellatione etiam omnes continentur, ut Marcellus ait *l. 160. inf. h. tit.*

AD L. XCVI.

Littus est, quousq; maximus fluctus à mari pervenit: idq; Marcum Tullium, cum arbiter esset, primum constituisse.

QUod in maris littore invenitur, nullius in bonis esse, atq; adeò inventui cedere constat: quod enim nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Sed quæritur: quousq; maris littus se extendat? Et definit JCtus *hoc loco*: littus esse, quousq; maximus fluctus à mari provenit; sive quatenus maximus fluctus exæstuat, *h. l. n. & l. 112. eod.*

AD §. I.

Prædia dicimus aliquorum esse, non utiq; communiter habentium ea, sed vel alio aliud habente.

RES vel pro diviso, vel pro indiviso possidentur *l. 25. eod.* has communiter, illas divisim possidemus. Et illæ quidem propriè totum, hæ partes sunt. Sed tamen uti Servius existimat, res pro indiviso pars dici possunt *d. l. 15.* cujus responsi authoritate defendi potest, prædia aliquorum dici, non tantùm ea, quæ communiter possidentur, sed etsi alius aliud possideat: atq; inde si prædia ad familiam Brutorum fortè pertinentia ex divisione paris vel diversi gradus agnati possideant, ita ut quilibet suum habeat, prædia illa nihilominus reliquorum esse, h. e. ad illam familiam Brutorum pertinere dicemus.

AD L. XCVII.

Cum stipulamur, Quanta pecunia ex hereditate Titij ad te pervenerit: *res ipsas quæ pervenerunt, non pretia earum spectare videmur.*

QUamvis pecuniæ appellatione in speciali & propria significatione pecunia numerata intelligatur; tamen in hereditatis quæstione, & illa stipulatione, *Quanta pecunia ex hereditate Titij ad te pervenerit*, res ipsas hereditarias, non rerum pretia intelligimus; Aliud enim est res, longè aliud rei pretium *l. 28. de novat.* Et ita hereditate vendita ab herede, quia totum jus quod defunctus habuit, venditum fuit *l. nihil aliud 24. h. tit.* & defunctus, si ipse sua bona vendidisset, præcisè illa tradere coactus fuisset *Paul. 1. sent. 13. §. aliæ autem 2. Instit. de donat*: Idcircò & heres præcisè bona illa hereditaria bona tradere tenetur *l. qui filijfamilias 14. §. fin. de hered. vel act. vend. l. quisquis 95. de legat. 3.* adeoq; & stipulando emtor de corporibus tradendis, non de æstimatione eorum sensisse videri debet *Godd. h. l. n. sub n. 1.*

AD L. XCVIII.

Cum bisextum Kalendis est, nihil refert, utrum priore, an posteriore die quis natus sit, & deinceps sextum Kalendas ejus natalis dies est. Nam id biduum pro uno die habetur: sed posterior dies intercalatur, non prior. Ideo quo anno intercalatũ non est, sexto Kalendas natus, cum bisextũ Kalendis est, priorẽ diem natalẽ habet. Cato putat mensem intercalarem addititiũ esse: omnesq; ejus dies pro momento temporis observat, extremoq; die mensis Februarij attribuit Quintus Mucius. Mensis autem intercalaris constat ex diebus viginti octo.

CUm annus 365. diebus & quadrante sive sex horis constaret, Julius Cæsar annum 365. diebus conclusit; & quadrantem quarto quoquo intercalavit & intervocavit ad sextum sc. Cal. Martij. Quo factum est, ut bini dies illo anno in sextum Cal. Mart. reperirentur, qui bissextus dicebatur, *ut hîc*; ubi dum JCtus dicit: *Cum bissextum Kal. est*, nihil aliud significare vult, quàm cum sextus dies Cal. Martij bis in Calendario ponitur. Tractavit verò Celsus *lib. 39. Digest.* uti ex *l. 3. §. minorem ff. de minorib.* planissimum est, quæstionem illam de minore, qui bisexto natus est, utrum priorem aut posteriorem diem natalem habeat? Et quidem simpliciter respondet, Celsum *in d. §. minorem* diem sextum Cal. natalem ejus esse, neque referre, quod bisextus fuerit: nam illud biduum pro uno die numerari *ut hic.* Exempli causa: Nascitur quis anni intercalaris posteriori die, anno sequenti, qui non est intercalaris, quæritur, quomodo ejus dies natalis computandus sit? Dubitationem movet, quod posterior ille dies hoc anno non possit computari, cum nullus sit, atq; ideò quod nullum is diem natalem habere possit. Verùm quia bisextus ille pro uno die computatur, sequitur, eum qui posteriore anni bisextilis die natus est: Sexto Cal. Martij pro natali haberi *Alciat. & Godd. ad h. l.*

AD L. XCIX.

Notionem accipere possumus, & cognitionem & jurisdictionem.

Notio

NOtio nomen generis eſt, & ſub ſe cognitionem ac jurisdictionem complectitur. Jurisdictio eſt notio, quæ jure magiſtratus competit *l. 1. in pr. de offic.* Magiſtratus eſt perſona publica, quæ pro tribunali jus dicit. Cognitio nihil aliud eſt, quàm Prætoris decretum *l. 9. §. 1. de offic. proconſ.* Planè notionem non tantùm ad Magiſtratus, ſed etiam ad alios judices quoscunq; ſive ordinarios, ſive delegatos, ſive etiam arbitros pertinere, non eſt incognitum *l. 5. de re judic.*

AD §. I.

Continentes provincias accipere debemus eas, quæ Italiæ junctæ ſunt; utputa Galliam: ſed & provinciam Siciliam magis inter continentes accipere nos oportet, quæ modico freto Italia dividitur.

PRovinciæ aliæ erant continentes, aliæ transmarinæ, Illæ quaſi junctæ, hæ freto vel mari disjunctæ & ſeparatæ erant: Secundum quam definitionem, quin Gallia provincijs continentibus Italiæ adnumeranda ſit, nulla dubitatio eſt. De Sicilia dubitari poterat: ſed tamen quia modico freto tantùm dividitur, inter continentes accipi debet. Idq; vel eò magis, quod Inſulæ Italiæ ſint ipſius Italiæ pars *l. 9. de judic.* Provinciæ ſunt, ad quas gubernandas Præſides à Principe mittebantur *tot. tit. de offic. Præſidis.* Diſtinctionem verò provinciarum ideò hoc refert JCtus, uti *ex §. ſeq.* apparet, quod aliter dilatio danda ſit, ſi ex continentibus, aliter ſi ex transmarinis provinciis & locis inſtrumenta petuntur *l. 1. C. de dilat.*

Ad §. 2.

Instrumentorum appellatione quæ comprehenduntur, perquam difficile erit separare. Quæ enim propriè sint instrumenta, propter quæ dilatio danda sit, inde dignoscemus, si in præsentiam personæ, quæ instruere possit, dilatio petatur: puta, qui actum gessit, licet in servitute, vel qui actor fuit constitutus: putem videri instrumentorum causa peti dilationem.

Dilatio petitur maximè instrumentorum & personarum exhibendarum gratiâ, item instruendi judicis, & instruendæ intentionis suæ causâ, ut ex Provincijs Codices sive instrumenta adferantur *l. argentarium. de judic.* ut personæ, quæ instruere possint, producantur, *ut hic.* Difficile verò est, teste Ulpiano, instrumentum à personis separare; quia ea etiam, quæ in personarum, quæ instruere possint, præsentiam petitur dilatio, propter instrumenta plerumq; peti videtur, puta, ut personæ testentur, se actum illud de quo instrumenta mentionem faciunt, gessisse. *Alciat. & Godd. ad h. l.* Cæterum servus testimonij dictionem non habet: nam Terentio *in Phor. act. 2. sc. 1.* referente, servũ hominũ causas orare leges non sinunt. Dicendum est, hominem servum extrajudiciales actus peragere posse, & de ijs testimonium dicere non prohiberi liberum factum: nam tempus testimonij ferendi respicimus, ut quis rectè testimonium dicat *Godd. h. l. n. num. 5.*

Ad L. C.

Speciosas personas accipere debemus clarissimas personas utriusq; sexus; item eorum, qui ornamentis senatorijs utuntur.

Spe-

Speciosas personas JCtus *hoc loco* accipiendas docet de clarissimis. Clarissimatus species dignitatis est. Non verò tantùm speciosas personas accipimus tantùm de ipsis, qui sua virtute clarissimatus dignitate gaudent, sed & de illis etiam qui aliorum dignitatis radijs splendescunt, sive masculi sint, sive fœminæ, veluti liberi, uxores senatorum. Nam sic Ulpianus determinat de sexu utroq;, ut scilicet speciosæ sint eadem ratione, qua & clarissimæ *l. fin. de senatorib.* Imò & de illis asseverat, qui cum Senatores non sint, ornamentis tamen Senatorijs utuntur; quæ ornamenta Senatoria recenset Cujatius *hic.* Speciosæ igitur personæ dicuntur, quæcunq; in genere sub clarissimis continentur, & quidem utriusque sexus. Licet enim dignitates non sint sine munere publico *l. 1. §. sed an id 16. de collat.* cujus fœminæ regulariter capaces non sunt *l. 2. de reg. jur.* tamen communicatur filiabus & fœminis intuitu patris & mariti *l. fœminæ 8. ubi* Faber *de senat. l. mulieres 13. C. de dignit.*

AD L. CI.

Inter stuprum & adulterium hoc interesse quidam putant, quod adulterium in nuptam, stuprum in viduam committitur: Sed lex Julia de adulterijs hoc verbo indifferenter utitur.

Stuprum & adulterium differunt inter se, sicut genus & species. Stupri enim appellatio generalior est, & adulterium tanquam speciem complectitur. *Mart. Detrio ad l. transigere n. 119. C. de transact.* Omne adulterium est stuprum; sed non vice versa; nisi adulterij voce abutaris, & speciem pro genere accipias.

ditioni ſecundum formulam in repudijs uſitatam : *Conditione tuâ non utor l. 2. de divort.* conditione ſc. conventa de nuptijs. *h. l. noſt. ubi Godd. & Alciat.*

AD §. 2.

Verum eſt, morbum *eſſe temporalem corporũ imbecillitatem:* Vitium *verò perpetuum corporis impedimentum: veluti ſi talum excuſſit: nam & luſcus utiq; vitioſus eſt.*

HIc textus ad ædilitium edictum referri debet, quo ſervus vitioſus vel morboſus redhiberi jubetur. *l. 1. §. 1. de ædilit. edict.* Morbus eſt temporalis corporis imbecillitas. Vitium eſt perpetuum corporis impedimentum *h. l. n.* unde patet, utrumq; quidem corporis eſſe; ſed *morbum* imbecillitatem eſſe, *vitium* impedimentum: *morbum* eſſe temporalẽ, *vitium* verò perpetuum. Omnis quidem morbus eſt & vitium, cum omnis imbecillitas, quandiu eſt, etiã impedimentum ſit; & perpetuum in ſe contineat etiam temporis particulas: ſed ſunt impedimenta ſine imbecillitate, non temporalia tantùm, ſed etiam perpetua; conſequenter vitia ſine morbis: veluti ſi talum excuſſit, h. e. claudus ſit; aut ſi luſcus ſit *Godd. h. l. n.*

AD §. 3.

Servis legatis etiam ancillas deberi, quidam putant: quaſi commune nomen utrumq; ſexum nominat.

MAſculinum continet fœmininum *l. verbum hoc 1. ſup. h. tit. l. pronunciatio 195. pr. l. qui duos mulos 62. de legat. 3.* ubi JC. Julianus ait: Semper ſexus maſculinus fœmininum continet: inde ſervi appel-

latione etiam ancilla venit; adeoq; servis legatis, etjam ancilla debetur *h. l. n. d. l. 1. & l. 40. §. 1. sup. h. tit. l. servis legatis 18. de legat. 3.*

Ad L. CII.

Derogatur legi, aut abrogatur: derogatur legi, cum pars detrahitur: abrogatur legi, cum prorsus tollitur.

LEx aut *rogatur* h. e. fertur: aut *abrogatur*, hoc est, prorsus tollitur; aut *obrogatur*, h. e. mutatur aliquid ex prima lege; aut *derogatur* h. e. pars detrahitur; aut deniq; *subrogatur* h. e. adjicitur aliquid primæ legi, *ut hic & Ulp. in fragmentis tit. 1. Cujat. ad h. l.* omnia sc. legislatori ex usu Reip. sunt æstimanda. Igitur si animadvertit legem quampiã minus commodi eidem adferre & derogare, ei & abrogare, semper jus, fasq; fuit, modò evidens utilitas id suadeat *l. in rebus 2. de constit. Princ. ubi Coras.*

Ad L. CIII.

Licet capitalis latinè loquentibus omnis causa existimationis videatur: tamen appellatio capitalis mortis vel amissionis civitatis intelligenda est.

POenæ capitales, licet propriè illæ sint, quæ capitis pœnam inferunt, ut vivi crematio, ad furcam damnatio, capitis amputatio *l. 28. de pœnis.* Tamen appellatio capitalium pœnarũ non tantùm ad mortis pœnas, sed etiam amissionis civitatis, h. e. damnationis in metallum, & relegationis pœnam referenda est *d. l. 28.* Prior appellatio ad naturale, posterior ad civile hominis caput pertinet §. *cum autem 1. Inst. Quib. mod. jus pat. potest solv. l. verum est. §. societas*

cietas 10. vers. intereunt ff. pro socio l. 5. necem 4. §. si deportatus 2. de bon. libert.

AD L. CIV.

Natorum appellatio & ad nepotes extenditur.

NAtorum appellatio æquè lata ut liberorum, *de qua l. nurus 50. sup. h. tit.* Adeoq; rectè *hoc loco* dicitur: *Natorum appellationem & ad nepotes extendi.* Quia quod Latinis est liberorum, id Græcis est τῶν τέκνων, natorum: & quod Latinis est filius, id Græcis est ὁ υἱός *Godd. ad h. l. n. 1.*

AD L. CV.

Modestinus respondet his verbis: libertis, libertabusq; meis, *libertum libertæ testatoris non contineri.*

FIliorum quidem appellatione, nepotes continentur *l. justa 201. l. liberorum 220. §. sed & Papyrius 1. §. præter hoc 3. h. tit.* Non tamen liberti libertæq; appellatio continet libertum libertæ; tum quia libera persona obligationem sibi acquirit non alteri, in cujus dominio & potestate non est *tot. tit. Instit. per quas personas cuiq; acquir.* tum quia illa quæ specialem ac personæ cohærentem habent rationem, personam non egrediuntur, ex quorum numero est jus patronatus *l. licet 58. h. tit. l. liberi patroni ff. de assign. libert. l licet 7. de obseq. parentib. & patronis præst.* Hoc enim ob meritum manumittenti conceditur: igitur personæ, non causæ jus est. Liberti itaq; mei libertus, non est meus libertus *h. l. n.* Quemadmodum nec socius mei socij. socius meus dici potest *l. consilij §. fin. de reg. jur.* Cujus legis authoritate *Interpretes*

cunt; Vasallum mei vasalli non posse vasallum meum dici.

AD L. CVI.

Dimissoriæ literæ dicuntur, quæ vulgò apostoli dicuntur; Dimissoriæ autem dictæ, quod causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur.

SI quis litigantium sententiâ judicis inferioris se putaverit gravatum, ei licet appellare ad judicem superiorem *l. Imperator 25. ff. de appellat.* Illæ autem literæ quæ dantur ab eo, à quo appellatum est, ad judicem superiorem, sive eum qui de appellatione cogniturus est, dicuntur *literæ dimissoriæ*: quæ *in h. l. n.* primò per aliud verbum notius explicantur, dum JC. dicit, vulgo appellari *Apostolos l. eos qui 6. § fin. C. de appellat.* Deinde explicantur derivatione; dicta enim sunt à dimittendo, quod causa ad eum, qui appellatus est, dimittat *h. l. n.* Nam Apostoli nuncij ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν, quod est remittere. *Alciat. ad h. l. n. 1.* Et quidem Apostoli in eum finem sunt inventi, ut innotescat superiori, ad quem appellatur, judicem à quo appellatur, dimisisse à jurisdictione sua appellantem *Octav. Vestrius in pract. sua libr. 7. cap. 3. num. 32.*

AD L. CVII.

Adsignare libertum, hoc est, testificare, cujus ex liberis libertum eum esse voluit.

PEculiari jure hæc potestas parentibus data, ut ipsis liceat uni ex liberis, quos parens in potestate habet, assignare libertum, ut ille ejusq; liberi in bonis

nis ipsius succedant *Instit. tot. tit. de adsign. libert.* Ejusmodi assignationem JC. definit testificationem, cujus ex liberis libertum eum esse velit *h. l. n.* Non igitur tantum is, cui libertus assignatus est, patronus fit, sed & reliqui liberi omnes pro patronis habentur *l. 3. §. si captiu ff. de bonis libert.* Quod eò pertinet, ut si forte is cui libertus adsignatus est, jus patronatus morte vel qua alia ratione amittat, reliqui fratres jus patronatus consequantur.

AD L. CVIII.

Debitor intelligitur is, à quo invito exigi pecunia potest.

CReditor & debitor sunt correlata. Ergò ex definitione creditoris *in l. 10. sup. h. tit.* debitoris quoque definitio facilè resolvitur, ut sc. debitor sit is à quo invito exigi pecunia possit *h. l. n.*

AD L. CIX.

Bonæ fidei emtor esse videtur, qui ignoravit eam rem alienam esse, aut putavit eum, qui vendidit, jus vendendi habere, puta, procuratorem aut tutorem esse.

BOnæ fidei emtor est is, qui vel ignorat rem quam emit alienam esse, vel scit quidem alienam esse, sed tamen eum qui vendit, jus putavit habere vendendi, puta, procuratorem, tutorem, curatorem esse. Non ergò omnis rei alienæ scientia est mala fides, uti Cujatius docet *18. Observ. 28.* Hujus legis argumento definire possumus *bonæ fidei possessorem* eum esse, qui ignorat rem quam possidet alienam esse; vel eum à quo possesionem nactus est, jus possessionis transferendæ habuisse putat. *Cujat. ad l. & generaliter 28. de noxal. act. & tract. 7. ad Afric.* Ad

AD L. CX.

Sequester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti aut quasi sequenti eos qui contendunt, committitur.

JCtus tradit *hoc loco* sequestris definitionem, eamq; Nominis & Rei. *Nominis* hæc est: sequestrem dici ab eo, quod occurrat & quasi sequatur eos qui contendunt. *Rei* illa est; sequestrem dici apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt. Notandum autem est: Occurrere & sequi à JCto in hac lege non accipi pro diversis, sed alterius esse antecedens & consequens. Occurrere enim hoc in loco nihil aliud est, quàm ultrò se offerre; & obviam ire voluntati partium, illarumq; voluntatem acceptare. Cum igitur partis utriusq; sequatur voluntatem sequester, occurrere dicitur, & quasi eos, qui contendunt, sequi. Et dum sequitur voluntatem partium, occurrit earũ voluntati. *Forner. ad h. l.*

AD L. CXI.

Censeri *est constituere & præcipere; unde etjam dicere solemus:* Censeo hoc facias; & semel aliquid censuisse. *Inde censoris nomen videtur esse tractum.*

CEnsere nihil aliud est quàm suam sententiam explicare: Inde *ita censeo*, h. e. ita judico. Qua ratione olim Senatores, si sententiam suam, quam rogati erant dicere, exposuissent, censisse dicebantur. Et hæc est vera verbi *censere* significatio. Sed posteritas censere etiam dixit eum, qui quid præciperet vel mandaret. Inde *censoris* nomen appellatur. Qui censor

censor, quid singuli civium census nomine quinto quoquo anno exsolvere tenerentur, censebat & præcipiebat. Deniq; censere, de moribus dicimus: & inde morum censor. *Cujat. 24. obs. 7.*

AD L. CXII.

Littus publicum est eatenus, qua maximè fluctus exæstuant, Idem juris est in lacu, nisi is totus privatus sit.

HOc in loco definitur littus publicum potissimû ratione lacus; ut ostendat JCtus idem juris esse in eo, quod in littore; quod ratio eadem subsit: Ideoq; & lacum publicum esse, qua is maximè excurrit *Cujat. h. l.* Excipit JCtus lacum privatum. Is enim jure privatorum censetur, nec littoris, sed ripæ privatæ jure censetur, quæ arbitrio possessoris constituitur & mutatur *l. Rutilia Polla 69. de contrah. emt. l. unic. §. si privata 2. ut in flum. publ. Godd. ad h. l. n.*

AD L. CXIII.

Morbus Sonticus est, qui cuiq; rei nocet.

JUdicium varijs de causis differri potest; Et non tantùm ob litigantium, sed & judicis morbû Sonticum *l. judex ff. de re judic.* Judicium differtur vel diffunditur, ut ait *l. 2. §. 3. ff. si quis cautionib.* Dicitur autem morbus Sonticus, qui cuiq; rei nocet, h. e. qui cuiq; rei agendæ impedimento est *l. quæsitum 60. de re judic.* quò minus quis præstò esse, & negotium tractare possit: cujusmodi est furor *d. l. judex.* febris *d. l. quæsitum.* Et reliqui morbi omnes, qui ad res gerendas homines inidoneos faciunt. *Cujat. ad h. l. n.*

AD L. CXIV.

Solvendo esse nemo intelligitur, nisi qui solidum potest solvere.

SOlutio est ejus rei quæ debetur in eum, cui solvitur, rectè abalienatio perfecta à debitore, aut alio ejus nomine facta. Dicitur *ejus rei quæ debetur*: ubi totius rei debitæ satisfactionem intelligimus: Solvisse enim non videtur, nisi qui solvit solidum, h. e. integram rei, quam debet, & cujus periculum sustinet, æstimationem *§. fulloni & §. seq. Instit. de obligat. quæ ex delict. l. itaq; 12. de furt.* Solidum autem debitum non tantùm ex re ipsa *§. minus Instit. de act.* sed etiam ex tempore æstimamus *l. 10. sup. h. tit.* Deniq; dicitur in definitione, *vel alio ejus nomine facta*: Nemo enim dubitat solvendo fuisse eum, cujus nomine alius solvit *l. nemo ff. de reg. jur.*

AD L. CXV.

Quæstio est, fundus à possessione vel agro, vel prædio quid distet? Fundus *est omne quicquid solo tenetur:* ager *est, si species fundi ad usum hominis comparatur:* possessio *ab agro juris proprietate distat: quicquid enim apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere; hoc possessionem appellamus. Possessio ergò usus, ager proprietas loci est.* Prædium *utriusq; supra-scriptæ generale nomen est. Nam & ager & possessio hujus appellationis species sunt.*

FUndus generale nomen est, continens omne, quicquid solo continetur, etiamsi usui non sit homini, ut sunt loca deserta *Cujat. h.* Fundus igitur vel usui est homini, ejusmodi est *prædium*; vel non est usui. Prædium rursus vel nostrum est, & tunc si sine villa est,

est, *ager* dicitur *h. l. n.* vel alienum est, & nos domini proprietarij non sumus, nec esse possumus, ut qui agrum vectigalem vel municipum conduxit, vel agrum Emphyteuticum comparavit *l. 1. & seq. si ager vectig. l. hi penes 4. l. per colonum 17. C. de agric. & cens.* fit. & tunc *possessio* appellatur. *Godd. & Alciat. h. l.*

AD L. CXVI.

Quisquis mihi alius filij filiusve heres sit...:

Labeo non videri filiam contineri; Proculus contra: mihi Labeo videtur verborum figuram sequi, Proculus mentem testantis, Respondit, non dubito, quin Labeonis sententia vera sit.

FIliorum appellatione continentur & filiæ, non alia ratione, quàm quâ masculinum porrigitur ad sexum utrumq; *de quo in l. 1. sup. h. tit.* ubi traditur, quòd regulariter masculino sermone continetur sexus fœmininus, etiam in pœnalibus & odiosis *d. l. 1. & l. pronunciatio, h. tit.*

AD L. CXVII.

Non potest videri minus solvisse is, in quem amplioris summæ (h. e. sortis) actio non competit.

ILlam rem propriè debere dicimur, quæ à nobis per actionem peti potest *§. 1. Inst. de act.* Quare minus solvisse non potest dici, adversus quem amplioris summæ sive sortis petitio non est *h. l. n.* E. G. Quidam cum naturaliter rem unam, & civiliter rem aliam deberet, eam quam civiliter debebat exsolvit: Is respectu naturalis debiti minus solvisse dici non potest; cum ob naturale debitum actio nulla detur. Aliud exemplum ponit Alciatus *hic*: Petijsti

à me centũ, cum eo quod intereſt, & fructibus: Judex me in centum tantùm condemnat: quæritur; utrum centum ſolutis minus ſolviſſe dici poſſim? Negat id Alciatus *arg. h. l.* Cum enim id quod intereſt officio judicis, non autem actione petatur, ſequitur in me amplioris ſummæ ſive ſortis actionem non eſſe. Et per conſequens nec dici poſſe minus me ſolviſſe *Godd. h. l. n.*

AD L. CXVIII.

Hoſtes hi ſunt, qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decrevimus: cæteri latrones aut prædones ſunt.

QVæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra fiunt §. *item ea Inſtit. de rer. diviſ.* Quod jus reciprocum eſt etiam in cives Romanos, ut capti ab hoſtibus ſervi fiant, & omnia quæ juris gentium aut civilis ſunt, amittant *§ ſi ab hoſtibus 5. Inſt. Quib. mod. jus patr. poteſt. ſolv.* Quæritur igitur, quinam hoſtes intelligendi? *Qui ſcilicet nobis*, h. e. populo Romano, *vel quibus nos* h. e. populus Romanus, *publicè bellum decrevimus ut h. l. n.* Illi à veteribus perduelles appellabantur, ut per hanc adjectionẽ ſciretur, cum quibus bellum eſſet *l. 232. h. tit.* Perduelliones enim rei judicabantur, qui adverſus Pop. Roman. aliquid moliebantur hoſtili animo. Ab his latrones & prædones longè diſtant; quia *illi* aperto marte cum Romanis confligere parati erant; *hi* clam & inſcijs Romanis vim inferebant, & damnum adferebant *h. l. n, ubi Cujat.*

AD

AD L. CXIX.

Hereditatis appellatio sine dubio etiam damnosam hereditatem continet: juris enim nomen est, sicut bonorum possessio.

LEx per se est plana. Hereditatis appellatio continet etiam damnosam hereditatem: quia hereditas nomen juris est, & sine ullo corpore intelligitur, & quamvis nulla res in eâ inveniatur, nec solvendo sit, tamen æri alieno nos obligat *l. more 8. de acq. hered. l. si de bonis 10. C. de jure delib.*

AD L. CXX.

Verbis legis duodecim tabularum his, uti legassit suæ rei, ita jus esto, *latissima potestas tributa videtur, & heredes instituendi, & legata & libertates dandi, tutelas quoque constituendi. Sed id interpretatione coangustatum est, vel legum, vel authoritate jura constituentium.*

LEges in melius reformandi semper fuit potestas, si ex usu fuit Reipublicæ. Habuerunt autem & Romani causas maximi momenti, ob quas hanc legem XII. tabb. coangustarunt, ut legatum propriè nihil aliud sit, quàm donatio à defuncto relicta *§. 1. Inst. de legatis.* Dicit JCtus hoc *interpretatione coangustatum esse, vel legum, vel authoritate jura constituentium.* Per *interpretationem legum* intelligit Prætorum interpretationem. Prætor enim nihil aliud est, quàm legis XII. tabb. & totius juris civilis viva vox, quæ in interpretatione consistit. *Per authoritatem verò jura constituentium,* intelligit JCtorum authoritatem argumento eorum, quæ tradit Pomponius *in l. 2. §. 5. de orig. jur.* Addantur superius dicta *ad l. 80. h. tit.*

Ad

Ad L. CXXI.

Usura pecuniæ quam percipimus, in fructu non est; quia non ex ipso corpore, sed ex alia causa est, id est, nova obligatione.

FRuctus rei dicitur, quod ex corpore ipsius nascitur, ut sunt frumenta, poma, item fœtus pecudum, &c. *l. item si 9. l. arboribus 12. de usufr.* Atqui pecunia est res sterilis, & suapte natura nihil producit. Igitur nec usura fructus ejus dici potest; cum caussam habeat extrinsecam, stipulationem nempe, vel alium contractum. Cui consequens est: eum qui ad fructus non tenetur, non teneri ad usuras *Godd. ad h. l.*

AD L. CXXII.

Servius ait, si ita scriptum sit, filio filijsq; meis hosce tutores do, *masculis duntaxat tutores datos: quoniam singulari casu hoc, filio, ad pluralem videtur transisse continentem eundem sexum, quem singularis prior positus habuisset. Sed hoc facti, non juris habet quæstionem: Potest enim fieri, ut singulari casu de filio senserit, deinde plenius omnibus liberis prospexisse in tutore dando voluerit: quod magis rationabile esse videtur.*

IN *hac lege* JCtus ad quæstionis propositæ qualitatem se retulit. Testator ita dixit: *Filio filijsq; meis hosce tutores do*: Quærebatur: An etiam filiabus tutores dedisse videretur? Resp. Patrem ideò à singulari ad pluralem transitum fecisse, ut eò magis appareret, omnibus filijs ex æquo ob naturalem amorem erga unumquemq; voluisse prospicere; ideoq; à justa interpretatione *l. filij 84. h. tit.* non recedendum. *Godd. ad h. l. n.* Addantur scripta *ad d. l. 84. eod. tit.*

AD L. CXXIII.

Verbum erit, *interdum etiam præteritum, nec solum futurum tempus demonstrat: quod est nobis necessarium scire; & cum codicilli ita confirmati testamento fuerint,* quod in codicillis scriptum erit, *utrumne futuri temporis demonstratio fiat, an etiam præteriti, si ante scriptos codicillos quis relinquat? Quod quidem ex voluntate scribentis interpretandum est. Quemadmodum autem hoc verbum* est, *non solum præsens, sed & præteritum tempus significat: ita & hoc verbum* erit *non solum futurum, sed interdum etiam præteritum tempus demonstrat. Nam cum dicimus,* Lucius Titius solutus est ab obligatione, *& præteritum & præsens significamus; sicut hoc,* Lucius Titius allegatus est. *Et idem fit, cum ita loquimur,* Troja capta est: *non enim ad præsentis facti demonstrationem refertur is sermo, sed ad præteritum.*

GRammatica explicatio verborum *Est* & *Erit* extat apud Gellium *lib. 17. Noct. Attic. cap. 7.* De juridica interpretatione eorum verborum petatur ex *l. oportebit 8. sup. h. tit.* Et usum ejus in jure deducit Goddæus *ad h. l. n.* cæterùm an verbum *est* & *erit*, futurum vel præsens tempus denotet; hoc ex voluntate scribentis interpretandum esse, Pomponius scribit *h. l. n.* Verba enim personis & rebus, non hæ verbis inservire debent *l. ut nullo 28. C. de usur.*

AD L. CXXIV.

Hæc verba, ille aut ille, *non solum disjunctiva, sed etiam subdisjunctivæ orationis sunt. Disjunctivum est, veluti cum dicimus,* aut dies aut nox est: *quorum posito altero, necesse est tolli alterum; item sublato altero, poni alterum. Ita simili figuratione verbum potest esse subdisjunctivum. Subdisjunctivi autem genera sunt duo: Unum, cum ex propositis finibus ita non potest uterque esse, ut possit neuter esse: veluti*

cum

cum dicimus, aut sedet, aut ambulat. *Nam ut nemo potest utrumq́ simul facere, ita aliquis potest neutrum, veluti is, qui accumbit. Alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neuter esse, ut possit utrumq́ esse: veluti cum dicimus;* Omne animal aut facit, aut patitur. *Nullum est enim, quod nec faciat, nec patiatur: ut potest simul & facere & pati.*

CAjus aut Sempronius Liber, Tutor, vel Hæres esto. Uter ex his liber, tutor aut heres erit? an neuter? an uterq; ? Nihil amplius proponitur quàm nuda particula, *aut*, ex cujus significatione statuatur de voluntate testatoris. Istam particulam Proculus non tantùm esse disjunctivæ orationis voluit, sed & subdisjunctivæ. *Disjunctiva* oratio Proculo *in h. l.* est quoties disjunguntur immediatè contraria, quorum antecedenti posito aut sublato, tollatur aut ponatur consequens, & contra: veluti, posito die, negatur nox; negato die, ponitur nox. *Subdisjunctivæ orationis genera Proculus duo* facit: *Primum* est contrariorum mediatorum, veluti cum dicimus: Plato aut sedet, aut ambulat. Potest enim accumbere, jacere; *Alterum genus* est oppositorum ad aliquid, seu relativè oppositorum, veluti cum dicimus: Omne animal aut facit, aut patitur: Actio & Passio relata sunt, ut ubi actio sit, ibi necessum sit in alio esse passionem. Idem verò respectu ejusdem agere & pati non potest; sed potest idem agere & pati diverso respectu. Si itaq;, quantum ad quæstionem modò propositam, Cajus & Sempronius in libertate, hereditate, aut tutela, contraria non sunt immediata vel mediata, nec relativè opposita, cum uterq;, vel neuter, vel unus eorum liber, heres, tutor esse possit, ne-

cessum

cessum erit, ut particula *aut* propriam disjungendi vim amittat, & pro conjunctione accipiatur *arg. l. sæpe 53. sup. h. tit.* quod ipsum in proposita quæstione, controversijs veterum amputatis expresse Justinianus constituit *in l. cum quædam 4. C. de verb. sign.*

AD L. CXXV.

Nepos Proculo suo salutem. Ab eo qui ita dotem promisit, Cum commodum erit dotis filiæ meæ, tibi erunt aurei centum; *putasne protenus nuptiis factis dotem repeti posse? Quid si ita promisisset*, cum potuero, doti erunt? *Quid si aliquam vim habeat posterior obligatio*, possit, *verbum quomodo interpretaris? Utrum ære alieno deducto, an extante? Proculus: cum dotem quis ita promisit*, cum potuero, doti tibi erunt centum; *Existimo ad id, quod actum est, interpretationem redigendam esse: nam qui ambigue loquitur, id quod loquitur, quod ex his, quæ significantur, sensit. Propius est tamen, ut hoc eum sensisse existimem*; deducto ære alieno potero. *Potest etiam illa accipi significatio*, cum salva dignitate mea potero. *Quæ interpretatio eò magis accipienda est, si ita promissum est*, cum commodum erit: *hoc est, cum sine incommodo meo potero.*

DOs vel purè promittitur, vel in diem, sive ex die & tempore, vel sub conditione; idq; multivariam, puta, cum nupseris, si Titio nupseris *l. 58. de jure dot.* vel, cum commodum erit, *ut hic*, sive commodissimum, ut est *in l. 79. §. 1. de jure dot.* Quæ conditionis forma, quomodo intelligenda sit, *hoc loco* à Proculo quæsitum est: qui respondit, Id quod actũ est inter contrahentes sequendum esse, sed ita tamen, ut in quantum possit promissor, ære nimirum alieno deducto, doti constituat. Proprius & benignius promissionem illam ita intelligi debere, cum promissor

missor sine incommodo suo potuerit, vel cum salva dignitate poterit, *ut hic*, h.e. cum sine infamia & turpitudine dos dari poterit *d. l. 79. §. 1. Godd. h. l. n. 2.*

AD L. CXXVI.

Si cum fundum tibi darem, legem ita dixi: uti optimus maximusq; esset: *& adjeci; jus fundi deterius factum non esse per dominum, præstabitur: amplius eo præstabitur nihil, etiamsi prior pars, qua scriptum est,* uti optimus maximusq; sit, *liberum esse significat: eoq; si posterior pars adjecta non esset, liberum præstare deberem: tamen inferiore parte satis me liberatum puto, quod ad jura attinet, ne quid aliud præstare debeam, quàm jus fundi per dominum deterius factum non esse.*

VEndito, legato, aut promisso fundo, quæritur, quale præstandum erit? Et quidem si nihil additum sit, talis qualis esset, præstari debet *l. cum venderes 59. de contrab. empt.* & servitutes tacitè sequuntur & accedunt *l. pen. de evict.* Quid autem si addatur; *uti optimus maximusq; esset*: & adjiciatur; *jus fundi deterius factum non esse per dominum h.l. n.* Clausula posterior priorem restringit ad personā dantis, ut intelligatur *optimus maximus*, non simpliciter, sed respectu domini, qui cum potuisset, non tamen imminuit jura fundi, sed talem, qualem accepit, tradit, per se dominum, optimum maximam *h.l. n. & l. 90. sup. h. tit.*

AD L. CXXVII.

Vestis appellatione tam virilis, quàm muliebris & scenica, etiamsi tragica aut citharedica sit, continetur.

LEgatis aut promissis vestimentis, quid debebitur? Resp. *Vestis appellatione, tam virilis quàm muliebris*

liebris & scenica continetur h. l. Vestis enim appellatio generalis est, etiam scenicas comprehendens h. l. n. & l. vestis 23. de auro & arg. leg. Igitur in dubio quoq; generaliter accipienda. Aliud est, si ex circumstantijs colligi potest, testatorem de certo vestium genere sensisse l. plenum 12. §. equilij 4. de usu & habit. Quin & si circumstantia dissuadeat, ut si uxor marito, vel maritus uxori, omnium vestimentorum usumfructum legavit; illæ vestes, quibus maritus aut uxor sine dedecore uti non possit, exceptæ intelligentur: puta, in legato marito facto, omnes vestes tantùm viriles; in legato marito facto, omnes vestes solæ muliebres Godd. h. l. n. 3.

AD L. CXXVIII.

Spadonum generalis appellatio est: quo nomine tam hi qui naturâ spadones sunt, item thlibiæ, thlasiæ: sed & si quod aliud genus spadonum est, continentur.

SPadonum appellatio est generalis & specialis. Generaliter spadones sunt, qui generare non possunt §. 9. Instit. de adopt. Et sunt vel castrati, vel non castrati l. 39. §. si spadoni 1. de jure dot. Castrati quasi casti facti, & coëundi potentiâ omninò destituuntur Alciat. h. n. 4. & 5. Tales non tantùm natura facit; sed etiam improbitas violenta l. lege Cornelia 4. §. 2. ff. ad L. Cornel. de sicar. Thlibiæ, quibus testes attriti, veluti in aqua calida Alciat. h. n. 12. Thlasiæ, quibus fructi contusi aut compressi. Echomiæ, quibus excisi: non naturà tales sunt, sed à violentiâ, & vocantur nihilominus castrati d. l. 4. l. si servus 27. §. 28. ff. ad L. Aquil. Non castrati retinent nomen generis,

ſuntq; qui licet actu generare non poſſint, tamen potentiâ omni non ita deſtituuntur, ut nulla ſpes ſuperſit, quin poſſint vitio ſublato etiam generare: veluti ſi morbo aut alio aliquo vitio membris integris ſuperveniente, uſus generationis impediatur. Et hi non adoptant tantùm, ſed etiam nuptias contrahunt rectè *d. §. 9. Inſt. de adopt.*

Ad L. CXXIX.

Qui mortui naſcuntur, neq; nati, neq; procreati videntur, quia nunquam liberi appellari potuerunt.

QUæſtio eſt: An filij qui mortui naſcuntur, pro natis vel procreatis haberi poſſint? Et reſpondetur, liberos non eſſe: nunquam ſcilicet liberi ſimpliciter appellari potuerunt, ſed ſtatim ut editi ſunt, cum adjectione, nempe liberi mortui vocati ſunt; id quod non trahendum eſt ad partus infirmos, tametſi ſtatim moriantur *l. uxoris 2. C. de poſth. hered. inſtit.* unde liquet, mulierem quæ mortuos edit liberos, pro orba habendam eſſe, h. e. decimâ parte eorum, quæ in teſtamento civis Romani ipſi relicta erant, privandam eſſe, quæ pars ad fiſcum deferebatur *Godd. h. l. n.*

Ad L. CXXX.

Lege obvenire hereditatem non impropriè quis dixerit & eam, quæ ex teſtamento defertur: quia lege XII. tabb. teſtamentariæ hereditates confirmantur.

QUæritur; an teſtamentaria ſucceſſio ſive hereditas dici poſſit propriè legitima? Reſp. Eſſe legitimam non impropriè. Sic etiam eleganter Cujatius

tius *in penult. C. de legit. tutorib.* inter proprium & improprium constituit aliquod medium, nempe, non improprium *arg. l. 1. §. scientiam ff. de tribut. act. Godd. ad h. l. n. 5.* Innuit itaq; JCtus testamentariam hereditatem etiam legitimam appellari posse, non absolutè, ut nec propriè, quia proxima causa est hominis disponentis voluntas; sed obliquè, quia remotior causa est lex confirmans *Godd. h. l. n. 6.*

AD L. CXXXI.

Aliud fraus est, aliud pœna: fraus enim sine pœna esse potest: pœna sine fraude esse non potest. Pœna est noxæ vindicta: fraus & ipsa noxa dicitur, & quasi pœnæ quædam præparatio.

DIfferentia *hoc loco* proponitur inter fraudem & pœnam. Veteres quidem fraudem pro pœna ponere solebant *Ulp. in l. cum autem §. excipitur ff. de ædil. edict.* Sed tamen quia in libris nostris aliter fraus, aliter pœna plerunque accipiatur, Ulpianus differentias pœnæ à fraude proposuit duas *h. l. n.* Prima est à causa & effectu proprio. Fraus delictũ est dolo commissum, cujus effectus pœna est: Altera differentia est à pœnæ fraudisq; definitione petita. Pœna, inquit, est noxæ vindicta h. e. ipsius pœnæ executio *l. fin. de noxal. act.* Fraus non ipsa pœna est, sed ipsa noxa h. e. delictum sine culpa noxa dicitur *l. 4. de noxal. act.* licet quasi pœnæ quædam sit præparatio, h. e. pœnam procreans, atq; hoc nomine pro pœna ponatur. Qui enim fraudem vel noxam committit, is pœnam præparat. Potest verò ex hoc textu probari, quòd ex delictis obligatio-

nes proficifci rectè dicantur, cum delinquens in pœnam confentire, & eam quafi præparare dicatur *Alciat. lib 4. h. tit. Godd. ad h. l.*

AD §. I.

Inter mulctam *autem &* pœnam *multùm interest; cum* pœna *generale sit nomen omnium delictorum coercitio*: mulcta *specialis peccati, cujus animadversio hodiè pecuniaria est*: pœna *autem non tantùm pecuniaria, verùm capitis & existimationis irrogari solet, &* mulcta *quidem ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit*; pœna *non irrogatur, nisi quæ quaq; lege, vel quo alio jure specialiter delicto imposita est: quinimò* mulcta *ibi dicitur, ubi specialis pœna non est imposita. Item is mulctam dicere potest, cui judicatio data est, magistratus solos & præsides Provinciarum posse mulctam dicere mandatis permissum est,* pœnam *autem unus quisq; irrogare potest, cui hujus criminis sive delicti executio competit.*

VIfis illis, quæ ad differentiam fraudis ac pœnæ fpectant, tranfit Ulpianus ad differentiam *pœnæ* ac *mulctæ*. Explofa enim eft fententia eorum, qui *pœnam* & *mulctam* confundebant *l. 244 sup. h. tit.* Prima ergò differentia inter hæc vocabula eft, quòd pœnæ nomen & generale & fpeciale fit; mulctæ fpeciale tantùm. *Pœna* eft cujufcunq; noxæ vindicta; *mulcta* fpecialis coercitio peccati, quod Dd. vocant innominatum, quafi, quod nomen fpeciale & pœnam nominatim impofitam non habeat *Alciat. h. l. n. 13. & seq.* Secunda differentia eft in materia. *Mulcta*, inquit Ulpianus, *specialis delicti* (fcilicet pœna eft) *cujus animadversio hodiè pecuniaria est; pœnæ autem non tantùm pecuniaria. verùm capitis & existimationis irrogari solet.* Mulcta igitur duntaxat eft pecuniaria

niaria pœna, & in ſola pecunia conſiſtit: at pœna non ſolùm eſt pecuniaria, verùm etjam capitalis, & ſi quæ alia corporalis coërcitio, cujusmodi eſt fuſtigatio, relegatio, deportatio, ultimum ſupplicium *l. 1. l. 2. tot. tit. ff. & C. de pœn.* Tertia differentia eſt à cauſa efficiente principali. *Mulcta*, inquit, *ex arbitrio ejus venit, qui mulctam dicit; pœna non irrogatur, niſi quæ quaq; lege, vel quo alio jure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt.* unde patet; *mulctã* proprio mulctantis arbitrio, ſine omni juris neceſſitate vel authoritate: *pœnam* autem reliquam omnem nequaquam punientis arbitrio mero, ſed legis, SCti, conſtitutionis, conſuetudinis, edictive, authoritate & juſſu infligi *l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpill.* Quarta differentia conſiſtit in jure ac poteſtate eorum, qui jus mulctandi puniendiq; habent. *Mulctam*, inquit, *is dicere poteſt, cui judicatio data eſt: pœnam autem unusquisq; irrogare poteſt, cui hujus criminis* (quod puniendum eſt) *ſive delicti* (quod propter privata addit) executio competit *Alciat. Godd. ad h. l. n.*

AD L. CXXXII.

Anniculus amittitur, qui extremo anni die moritur, & conſuetudo loquendi id ita eſſe declarat.

INter alia legis Juliæ & Papiæ capita hoc quoque fuit; ut Latini Juniani, qui juraſſent prolis ſtudio ſe liberas ducere uxores, filio filiave, nato natave, anniculo anniculave, facto factave, jus Quiritum conſequerentur *Ulp. in fragm. tit. de latinis §. 2.* Quæſitum itaq; eſt, quis ſit Anniculus? Anniculus ſeu

uniennis est infans unius anni. Pro diversa verò anni computatione, diversa videtur exinde & dubia anniculi definitio. Sed Paulus ex loquendi consuetudine vulgari *hîc* probat, anniculum *in h. l.* esse, non statim, quando natus est, sed qui extremo die moritur. Nam cum hæc lex à populo lata sit, populariter etiam est interpretanda *arg. l. semper in stipulationibus, de reg. jur. Godd. h. l.*

AD §. 1.

Ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum: *neq; utro (id est neutro) enim sermone undecim dies significantur.*

PErtinet hoc ad decimariam legis Juliæ & Papiæ partem, ubi constitutum erat, ut marito uxorive prodesset filius filiave communis post nonum diem amissus amissave, & pro singulis decimam; at si tres post nonum diem amisisset, solidum capere liceret *Ulp. in fragm. tit. 15. de decimis §. 2. tit. 16. de solidi capac.* Quæsitum est de horum verborum significatione: Quid enim, si ipso die nono, incepto quidem, at nondum exacto moriatur? Respondet Paulus, eum quoq; parentibus prodesse, qui nono die à partu moritur. Neq; enim utro (altero utriusq; sive alterutro) sermone undecim dies significantur *Godd. & Cujat. h. l. n.*

AD §. 2.

Falsum est, eam peperisse, cui mortuæ filius exectus est.

QUæsitum est, an matri, ut consequatur jus civitatis Romanæ, proderit infans, qui mortuæ exectus

ctus est. Respondetur hoc loco, quòd non: Quemadmodum enim qui mortui nascuntur, neque nati neq; proareati videntur: quia nunquam liberi appellari potuerunt *l. qui mortui 129. sup. h. tit.* ita etiã cui mortuæ filius exectus est, peperisse non dicetur: quia nunquam huic mater fuit *arg. l. 1. §. sed hoc ita ff. unde cogn. Cujat. & Godd. h. l. n.*

AD L. CXXXIII.

Si quis sic dixerit, ut intra diem mortis ejus *aliquid fiat; ipse quoq; dies, quo quis mortuus est, numeratur.*

RAtio est: quia antequam ille dies præterijt, incertum est, an intra mortis diem factum sit, quod fieri oportebat *l. ita in fin. ff. de manum. testam.* Et hæc etiam natura est vocis *inter*, ut includat totum illud spatium, atq; extremum numeri: Eaque ratione dies termini computatur in termino *h. l. 9. l. 99. §. 1. de verb. oblig. l. 1. §. si intra. de success. edict.* Quin etiam usus obtinuit, ut omne tempus, quod citra eum diem est, hæc locutio contineat; quia tempus concessionis usq; ad extremum diem, quo negocium explicari potest, pro uno habetur *Alciat. ad h. l.*

AD L. CXXXIV.

Anniculus non statim ut natus est, sed tricentesimo sexagesimo quinto die dicitur: incipiente planè, non exacto die: quia annum civiliter non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus.

RAtio decisionis sumitur ab ipso vocabulo. Anniculus dicitur ab anno. Annũ autem civiliter ad dies (nempe 365.) numeramus. Sed hoc legis Juliæ

& Papiæ caput hodie in uſu non eſt, non tamen prætereunda fuit hæc anniculi definitio *Cujat. ad h. l. n.*

Ad L. CXXXV.

Quæret aliquis, ſi portentoſum, vel monſtroſum, vel debilem mulier ediderit, vel qualem viſu vel vagitu novum, non humanæ figuræ, ſed alterius magis animalis, quàm hominis partum: an quia enixa eſt, prodeſſe ei debeat? Et magis eſt, ut hæc quoq; parentibus proſint. Nec enim eſt, quod eis imputetur, quæ qualiter potuerunt, ſtatutis obtemperaverunt: Neq; id, quod fataliter acceſſit, matri damnum injungere debet.

QUæſtio eſt, an partus portentoſi, monſtroſi vel debiles, liberarent parentes à pœnis orbitatis & caducitatis? Et reſpondetur, prodeſſe: eò quòd parentibus, qui ſtatutis obtemperarunt, qualiter potuerunt, id quod fataliter acceſſit, imputari non debeat. Quanquam aliàs monſtroſi & portentoſi non ſemper in numero liberorum habeantur *l. non ſunt liberi* 14. *ff. de ſtat. hom.* neq; homines exiſtimentur, etiamſi maximè vivi editi eſſent *l. oſtentum* 38. *ſup. h. tit.*

Ad L. CXXXVI.

Generi *appellatione & neptis, & proneptis, tam ex filio, quàm ex filia editarum, cæterarumq; maritos contineri manifeſtùm eſt.*

GEner eſt filiæ maritus. Sed latius *generi* appellatio extenditur ad neptes, proneptes, cæterarũq; filiarum, tam ex filio, quàm ex filia editarum maritos. *h. l. n.* Sed an generi appellatio etiam ad ſponſos

ſos filiarum pertineat? quæritur. Quod adfirmandum eſt *ex l. 5. ff. de teſtib.* Pari ratione ſocer eſt uxoris vel mariti pater. Socrus, mariti vel uxoris mater. Sed latiori ſignificatione, avum & aviam cæteroſq; aſcendentes ſoceri & ſocrus appellatione contineri reſponſum eſt *l. 146. h. tit.*

AD L. CXXXVII.

Ter enixa videtur etiam, quæ trigeminos peperit.

ENixæ dicuntur mulieres, quæ nitendi h. e. conandi & dolore labore perfunctæ ſunt. Sed quid ſi mulier ter geminos edat, an ter enixa dicetur? ut jus trium liberorum conſequatur? Reſpondetur hoc loco, quòd ſic. Quia enim & illa puerpera, quæ ter geminos edit, non ſimul & ſemel eos fundat, ſed in quolibet partu eam niti oporteat & conari illum edere, bona ratio eſt, dicere, ſub regula liberos ſic editos contineri *l. 15. de ſtat. hom.*

AD L. CXXXVIII.

Hereditatis appellatione bonorum quoq; poſſeßio continetur.

BOnorum poſſeſſio non directè, ſive ipſa vi vocabuli, appellatione hereditatis continetur: quod ipſum definitiones diſtinctæ hereditatis & bonorũ poſſeſſionis, item diſtincti tractatus *in Inſtit. Digeſt. & Cod.* arguunt. Nihilominus tamen hereditatis appellatione continetur quoq; bonorum poſſeſſio *h. l. n.* non quidem propriâ vi vocis, ſed mente ac voluntate legis *h. l. n.*

Ad L. CXXXIX.

Ædificia Romæ fieri etiam ea videntur, quæ in continentibus Romæ ædificiis fiant.

SI cautum esset, ut qui Romæ ædificium habet, Romanus sit, aut si ædificia sua Romæ quis leget, donet, aut aliud quid, sub hac conditione, *si Romæ ædificium fecerit*: quæri potest, de ædificijs continentibus, an & illa videantur Romæ esse? & respondetur hic affirmativè, *per rationem in l. 2. sup. h. tit.*

Ad §. I.

Perfecisse ædificium *is videtur, qui ita consummavit, ut jam in usu esse possit.*

EX hoc textu patet; Latinum sive Junianum libertum Romæ ædificantem, non ante civem Romanum fieri, quàm si perfecerit, ita, ut ædificium jam in usu, cujus gratiâ fiebat, esse possit; licet nondum sit. Qualis perfectio respectu certæ intentionis contrahentium aut testatoris, seu tantum modo quodam est perfectio; quia finiti perfectio consistit etiam in potentia, non tantùm in actu *l. 5. opere sup. h. tit.*

Ad L. CXL.

Cepisse quis intelligitur, quamvis alij acquisivit.

FIlijfamilias & servi instituti, si adeunt ipsi; acquirunt ipsi quidem & capiunt, sed non sibi, verùm illi in cujus potestate sunt *h. l. n. & l. pervenisse 171. h. tit.*

Ad L. CXLI.

Etiam ea mulier, cum moreretur, creditur filium

lium habere, quæ exciso utero edere possit. Nec-non etiam *alio casu mulier potest habere filium, quem mortis tempore non habuit: utputa eum, qui ab hostibus remeavit.*

COnditio, *si filium habuerit*, existit, non solùm nativitate, verùm etiam excisione, si partus ventre exectus sit, de quo *in l. anniculus 132. §. fin. h. tit.* Item si cui filius ab hostibus captus revertatur: hic enim omnia filij jura per postliminium recuperat *l. 5. §. 1. h. tit.*

AD L. CXLII.

Triplici modo conjunctio intelligitur: aut enim re per se conjunctio contingit, aut re & verbis, aut verbis tantùm. Nec dubium est, quin conjuncti sint, quos & nominum & rei complexus jungit; veluti Titius & Mævius ex parte dimidia heredes sunto: *vel ita:* Titius Mæviusq; heredes sunto: *vel:* Titius cùm Mævio ex parte dimidia heredes sunto. *Videamus autem, ne, etiamsi hos articulos detrahas,* &, que, cum, *interdum tamen conjunctos accipi oportet: veluti:* Lucius Titius, Publius Mævius ex parte dimidia heredes sunto: *vel ita:* Publius Mævius, Lucius Titius heredes sunto: Sempronius ex parte dimidia heres esto: *ut Titius & Mævius veniant in partem dimidiam, & re & verbis conjuncti videantur,* Lucius Titius ex parte dimidia heres esto. Seius ex parte, qua Lucium Titium heredem institui, heres esto. Sempronius ex parte dimidia heres esto. *Julianus dubitari posse ait, tres semisses facti sint, an Titius in eundem semissem cum Cajo Sejo institutus sit: sed eò, quòd Sempronius quoq; ex parte dimidia scriptus est, verisimilius esse, in eundem semissem duos coactos, & conjunctim heredes scriptos esse.*

IN jure accrescendi principalis quæstio est de conjunctis, quatenus inter conjunctos locum habeat: Quæritur itaq; *in h. l.* qui & quotuplices sint conjun-

juncti? *Triplici itaq;*, inquit Paulus, *modò conjunctio intelligitur*, h. e. tria sunt conjunctionum genera: aut enim re per se conjunctio contingit, aut re & verbis, aut verbis tantùm. *Re & verbis* dicuntur conjungi, qui ad eandem rem, sive totam, sive partem simul ac conjunctim vocantur *vers. nec dubium est, quin conjuncti sint &c.* Dicuntur *re conjungi*; dum res una eademq; utraq; in solidum legatur Dicuntur *verbis quoq; conjuncti*, quia eâdem ratione simul ad eandem rem vocantur. *Re tantùm* conjunguntur, quando pluribus eadem res, sed separatis enunciationibus est relicta *l. 89. ff. de legat. 3.* Verbis tantùm conjuncti dicuntur, qui quidem conjunctiva oratione ad eandem rem, sed expressis & discretis partibus individuis vocantur *d. l. re conjuncti 89. de legat. 3.* Sed de hac materia latissimè dixi *in Synoptica tractatione de jure accrescendi.*

AD L. CXLIII.

Id apud se quis habere videtur, de quo habet actionem: Habetur enim, quod peti potest.

PRopriè quidem aliud est actio ad rem, aliud res ipsa *l. minus est 204. h. tit.* Illud tamen quis etiam habere videtur, de quo habet actionem. Habetur enim quod peti potest *h. l. n.* Et sic legatum habere dicitur, qui vel actionem ex testamento, aut in rem pro eo consequendo nactus est. *l. cum pater 77. §. surdo ff. de legat. 2.*

AD L. CXLIV.

Libro memorabilium Massurius scribit, pellicē *apud antiquos eam habitam, quæ cum uxor non esset, cum*

aliquo

aliquo tamen vivebat, quam nunc vero nomine amicam, *paulò honestiore* concubinam, *appellari. Granius Flaccius in libro de jure Papiriano scribit, pellicem nunc vulgò vocari, quæ cum eo, cui uxor sit, corpus misceat. Quosdam eam quæ uxoris loco sine nuptiis in domo sit, quam παλλακὴν Græci vocant.*

PEllicis tria significata hoc loco adferuntur: *Antiquitas* eæ vocabantur pellices, quæ cum cælibe consuceverunt. *Deinde* ea propriè dicitur pellex, quæ cum eo, qui uxorem habet, corpus miscet. *Postremò* vulgus eam vocat pellicem, quæ sine nuptijs uxoris loco habetur, quæ hodiè concubina aliàs solet vocari; vel etiam amica; quod nomen generalius est, & quascunque etiam meretrices continet *Alciat. & Godd. h. l. n.*

AD L. CXLV.

Virilis appellatione interdum etiam totam hereditatem contineri dicendum est.

VIrilis appellatio ad singulas & æquales partes refertur pro numero personarum *l. unic. §. sed ut manifestetur 8. de cad. toll. l. virilis 8 pr. de legat. præst.* at interdum totam etiam hereditatem hac voce contineri ipse Ulpianus testis est *h. l. n.* Regulariter ergò virilis portionis appellatio æquales partes denotat; ex accidente autem ratione subjectæ materiæ etiam totum continet *h. l. n.*

AD L. CXLVI.

Soceri, socrus appellatione avum quoq; & aviam uxoris vel mariti contineri respondetur.

QUemadmodum generi appellatio ad nepotes & pronepotes; sic etiam soceri &, socrus appellatio

tio avum & aviam cæterosq; ascendentes continet, uti dictum est *ad l. generi 136. sup. h. tit.*

Ad L. CXLVII.

Qui in continentibus urbis nati sunt, Romæ intelliguntur.

Rationem decisionis sumit JCtus Marcellus *in l. ut Alphenus 87. h. tit.* à consuetudine loquendi. Nam Romam murotenus existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi; cum diceremus Romam nos ire, etiamsi extra urbem habitaremus. Deinde accessorium sequitur naturam sui principalis *c. accessorium 42. de reg. jur. in 6.*

Ad L. CXLVIII.

Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est. Hæc enim enunciatio, habet liberos, non habet liberos *semper plurali numero profertur: sicut & pugillares & codicilli.*

Liberorum itaq; appellatio vel in uno filio filiave, nepote nepteve verificatur, quoad hoc ut legi Juliæ caduciariæ de orbitate satisfactum sit. Sicut enim fatalitas parentibus imputari nequit *l. quæret aliquis sup. h. tit.* ita nec hic casus, quòd nisi unum filium, unamve filiam susceperint, cum studuerint, *d. l. quæret.*

Ad L. CXLIX.

Nam quem sine liberis esse dicere non possumus, hunc necesse est, dicamus liberos habere.

Hoc responsum pertinet ad confirmationem ejus quod in præcedente responso propositum est, nempe eum non dici sine liberis esse, cui unus filius,

filia-

filiave est: *Quoniam, quem sine liberis esse non possumus dicere, hunc necesse est dicamus liberos habere h. l. n.* Qui sine liberis non est, liberos habet. Unum filium habens, non est sine liberis. Ergò liberos habet *b. l. n.*

AD L. CL.

Si ita à te stipulatus fuero, Quantò minus à Titio consecutus fuero, tantum dare spondes? *non solet dubitari, quin si nihil à Titio fuero consecutus, totum debeas, quod Titius debuerat.*

TOta hæc clausula, (sicuti & alia pacta, quæ obligationi adjiciuntur) securitatis gratiâ ponitur, ut sibi caveat stipulator, ne spe sua, quam de promissore concepit, excidat. Sensus igitur hujus formulæ est: *Quanto minus,* scilicet præter spem meam à Titio consecutus fuero: qui intellectus etiam eo casu verificatur, quo nihil Cajus, qui sic stipulatus est, consequitur. Tantò enim minus spei Caij Titius satisfecit, si nihil solvit *l. minus* 32. *h. tit.*

AD L. CLI.

Delata hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi.

IN quæstione, quodnam tempus spectetur, ut heres hereditatem, & legatarius legatum capere possit, necessum est constare, quando hereditas delata intelligatur. *Delatam ergò hereditatem JCtus hîc definit eam, quam quis possit adeundo consequi.* Hereditas itaq; in ea causa esse debet, ut possit adiri *l. is qui* 17. *pr. de acq. hered.* at in herede ipse actus adeundi non requiritur, sed sufficit potentia, id est, eum posse adire, sive per se, sive per alium, puta, curatorem, tutorem.

Adeòq;

Adeoq; ut aliqua delata dicatur, magis ex qualitate hereditatis, quàm ejus, cui defertur, æstimari debet *Godd. h. l. num. 3.*

AD L. CLII.

Hominis appellatione tam fœminam, quàm masculum contineri; non dubitatur.

QUæ de masculino genere dicuntur, regulariter porriguntur ad sexum fœmininum *l. 1. sup. h. tit.* Quidni itaq; de homine dicta pertinebunt etiam ad fœminas, quæ & ipsæ propriè homines sunt *Alciat. Cujat. & Godd. ad h. l. n.*

AD L. CLIII.

Intelligendus est mortis temporis fuisse, qui in utero relictus est.

QUi in utero est, licet sit in rerum natura, nondum tamen homo est *l. in falcidia 9. in fin. ad L. Falcid.* intelligitur tamen mortis tempore homo fuisse *h. l. n. & l. qui in utero 26. de stat. hom.* idq; propter summam æquitatem, quæ suadet, fœtus in utero materno rationem haberi, eiq; omnia jura in tempus nascendi integra conservari; & ideò lex fingit eum tempore mortis fuisse: exempla sunt *in § pen. & ult. Inst. de tutel. l. 1. de testam. tut. l. 2. de vulg. & pup. substit.* ut interim negotium suspendatur, usq; dum appareat, an vivus edatur *l. antiqui 3. si pars hered. pet. l. utrum 7. de reb. dub.*

AD L. CLIV.

Mille passus non à milliario urbis, sed à continentibus ædificijs numerandi sunt.

Absen-

ABsentibus viginti millia passuum in singulos dies numerantur, & si pauciores sint, ijs etiam peculiaris dies attribuetur *l. 3. sup. h. tit.* Hac occasione Macer tradidit, *mille illos passus, quibus quis absens est, non à milliario urbis, sed à continentibus ædificijs annumerandos esse,* h. e. non capere initium ab urbe, seu muris ac portis, quibus ea finitur *l. 2. sup. h. tit.* Sed ab urbis continentibus, ut ubi ea finiunt, ibi passus numerare incipiamus, usq; eò, quo in loco absens moratur *d. l. 2. & l. 3. sup. h. tit. Goden. consil. 12.*

AD L. CLV.

Proximi appellatione etiam ille continetur, qui solus est.

VIderi possit dicendum, proximum esse, qui inter plures proximiori gradu defunctum attinet: nomen enim proximi ad comparata pertinet, quæ sunt parium vel imparium. At JCtus hoc loco decidit, nihil referre, plures sint, qui ad hereditatem adspirent, an unus solummodo; quia jus nostrum ordinem succedendi spectat, in qua persona defuncti & heredis, vel hujus ad alium relatio consideratur *h. l. n. & l. proximus est 29. ubi Cujat. Alciat. & Godd.*

AD L. CLVI.

Majore parte anni possedisse quis intelligitur, etiamsi duobus mensibus possederit: Si modò adversarius ejus aut paucioribus diebus, aut nullis possederit.

REferenda est hæc lex ad interdictum *utrubi*, in quo olim vincebat, qui majore parte anni possederat *l. unic. ff. utrubi,* scilicet respectu adversarij,

non autem simpliciter *h. l. n. & l. majorem 8. de pact.* Sed hodiè litis contestatæ tempus & in interdicto utrubi consideratur *d. l. unic. §. retinendæ 4. in fin. Inst. de interd.* Quamvis itaque annus dies habeat 365, quomodo major anni pars simpliciter considerata erit ad minimum 183. dierum: hic tamen admonemur, majorem anni partem considerari etiam posse certo respectu & secundum quid. Et sic in interdicto utrubi, major pars anni non tàm dicebatur respectu anni & ejus partis minoris, quàm ratione adversarij, qui eodem anno non tam diu possederat. Comparatio est non temporis ad tempus, sed personæ ad personam, quantum ad tempus *Godd. ad h. l.*

Ad L. CLVII.

Paries *est, sive murus, sive maceria est. Item via est, sive semita, sive iter est.*

Hoc responsum continet duo capita: Primò ostenditur, quid sit paries, deinde quid sit via. Quod ad primum attinet, *parietem* constituit duplicem, *murum* & *maceriam.* Murus verò parietis species est, non quidem propriè, & per se, sed per translationem *hic & l. ult. C. de ædif. priv.* cùm à muniendo dictus sit; & quamvis uno modo non fiat, nunquam tamen sine cæsis lapidibus olim extruebatur. *Parietes* autem fiunt plerunq; ex lapidum congerie, vel limo & calce, gypso aliave materia, puta ex cæmentis, lateribus, trabibus, stipitibus. *Maceria* est paries, qui ex alia materia, quàm cæmentis & lapidibus ritè dispositis factus est *l. pen. ff. cum præd. l. ædes 73. de contrah. empt.* Secundò via hic describitur.

Viam

Viam alij aliter accipiunt, *Alciat. h. n. 7.* Ex mente legum distinguendum videtur inter viam generaliter & specialiter acceptam. *Generaliter* aut publica est, aut privata. *Publica* aut *verè* quæ dicitur via consularis; aut *quasi*, quæ vel *vicinalis*, quæ in vicos ducit, vel *agraris*, quæ de via consulari ducit ad agros *Godd. ad h. l. n. 7.* Via *privata* habetur *jure dominij*, dum dominus in suo sibi viam constituit, *aut jure servitutis*, quo fundus alienus, alicui fundo hanc servitutem debet. Et hæc servitus generaliter via est, *quæ vel integra* & propter excellentiā via in specie dicitur, estq; jus agendi & eundi & ambulandi: *vel non integra*; cui usum deest, vel eundi jus per se, quæ in specie dicitur actus, qui fortè hic intelligitur per semitam, ut semita sit quasi semis via: vel jus eundi, quod dicitur iter *in pr. Instit. de servit. præd.* Sub ista distinctione, via & genus actus seu semitæ & itineris est: & alio respectu etiam species contra distincta *Cujat. 22. obs. 35. Duar. ad l. 1. de servit. rust. præd.*

AD L. CLVIII.

In usu juris frequenter uti nos, Cascellius ait, singulari appellatione, cum plura generis ejusdem significare vellemus: nam multum hominem venisse Romam, & piscem vilem esse *dicimus: item in stipulando satis habemus de herede cavere*; si ea res secundum me heredemve meum judicata erit; *& rursus,* quod ob eam rem te heredemve tuum; *nempe æquè si plures heredes sint, continentur stipulatione.*

QVando collectivè singulari numero utimur, tunc is plurali æquipollet; adeoque verba generalia etiam in singulari numero prolata, de pluribus ejusdem

dem generis intelligi possunt, ideò, quòd natura generis sit, esse commune pluribus speciebus. E. G. Si dico, piscis est vilis, non unus individuo piscis denotatur, sed hic ille, & alij innumeri, quicunque in præsentia venduntur. Sic etsi hominem dixero in singulari numero, eo tamen nomine omnia individua specificè, seu, ut loquuntur nostri, genericè continentur, nisi quadam adjectione ad quandam particularitatem restringatur. Veluti si dixero, multum hominem venisse Romam; non intelligo omnes homines, sed hominum quandam multitudinem, propter adjectum verbum multitudinis, quod est particulare. Ita si dixero, Piscem Romæ esse vilem; appellatione piscis omnes piscium species generalitate verbi continentur; sed per adjectionem loci ad particularitatem sermo restringitur. Et quod propius facit ad jus, si dixerim de herede meo, non quoscunq; heredes exprimo, sed meos, & eosdem tamen omnes, quos generale nomen heredis complectitur; maximè cùm omnes pro uno sint, quem conjunctim repræsentant *Godd. ad h. l. num.* 3.

AD L. CLIX.

Etiam aureos nummos æs dicimus.

EX usu sermonis, quòd in omnibus commercijs veteres ære uterentur, omnem pecuniam æs dicimus *h. l. n.* Antiquissimi enim nondum auro argentoq; invento æreâ pecuniâ utebantur *Isid. lib.* 16. *origin. cap.* 17. Prius, inquit, *ærea* pecunia in usu fuit, post *argentea*, & deinde *aurea* subsecuta: sed ab ea quæ cæpit, nomen retinuit.

AD

AD L. CLX.

Cæterorum & reliquorum *appellatione etiam omnes continentur, uti Marcellus dixit circa eum, cui optio servi legata est, cæteri Sempronio. Nam tempt at si non optet, omnes ad Sempronium pertinere.*

Licet particula *cæterorum & reliquorum* præsupponat partem aliquam esse exemtam: tamen si exemptionis causa cessat, puta, quia legatarius legatũ repudiat, nec optandi animum habet, cessat & ipsa exemtio, resq; legata redit ad suam primævam naturam, & ad genus suum vi vocabuli. Quod si itaq; uxor dedisset omnia sua bona in dotem, vel donatione reciproca in maritum transtulisset, partemque sibi saltem aliquam de qua disponat pro libitu sibi reservasset: si nihil de ea disposuit, ad maritum ea pertinebit *Rauchb. quæst. 39. part. 1.*

AD L. CLXI.

Non est pupillus, qui in utero est.

Pupillum Pomponius definit *in l. 239.* qui cùm impubes sit, desierit in patris potestate esse, aut morte, aut emancipatione. At ei qui in utero adhuc est, definitio pupilli non competit; quia nondum fuit in patria potestate *l. pen. de adsert. toll. l. ult. de collat.* Nec impuberem eum dicere possumus; siquidem ætas non à conceptione, sed nativitate computatur *Godd. h. n. 3.* Cum igitur fieri possit, ut mortuus nascatur *l. qui mortui 129. h. tit.* non rectè is, qui in utero est, pupillus dici potest *h. l. n.*

Ad L. CLXII.

In vulgari substitutione, qua ei, qui supremus morietur, heres substituitur, rectè substitutus etiam unicè intelligetur; exemplo XII. tabb., ex quibus proximus agnatus & solus habetur.

TEstator namq; de eo quod fieri potest, & fieri non potest, sensit. Nam quia fieri potest, ut unicus ille filius vivo adhuc patre nuptias contrahat, & liberos progeneret, fieri etiam potest, ut neutrum, vel saltem ultimum non contingat. Igitur in eventum supremum morienti substituit *l. qui duos 9. de reb. dub.*

Ad §. I.

Si quis ita in testamento scripserit, Si quid filio meo acciderit, Damas servus meus liber esto: *mortuo filio Damas liber erit, licèt enim accidant & vivis: sed vulgi sermone etiam mors significatur.*

SErvo testator libertatem dedit, si quid filio suo accidisset. Vivis quotidiè accidunt multa, seu bona, seu mala; Morientibus nil nisi mors, rerum ultima linea. Itaq; in dubio & in libertatis legato testatorem de hoc casu, id quod subjecta materia suadet, sensisse dicemus: ne sc. frustrà adjecta conditio videatur; idq; tantò magis, quòd vulgus testatorum utatur sermone vulgi, qui hoc loquendi genere utitur pro ultimo fato, *pr. Inst. de donat. l. uxorem 41. §. Sejum 12. de legat. 3. l. publicæ 26. de possess. l. quidam 25. ad Trebell.*

AD L. CLXIII.

Illa verba, optimus maximusq; , *vel in eum cadere possunt, qui solus est: Sic & circa edictum prætoris supremæ tabulæ habentur & solæ.*

SI testator aliquis, *optimum maximumq́z fundum suũ* institutionis aut legati titulo relinquit, cùm non nisi unicum habeat, an iste unicus debeatur? quæstio est. Et magis est deberi; idque hic JCtus probat: *quia*, inquit, *Prætor supremarum tabularum se rationem habiturum*, seu ex supremis tabulis se bonorum possessionem daturum *pollicetur l. 1. §. 1. de bon. poss. sec. tab.* Et testator, legans fundum *optimum maximum* quem habet unicum, commendandi illius gratiâ hæc verba apposuisse censetur, quod instar omnium aliorum ille sibi fuerit. In eo, quod plus, inest & minus *l. in eo quod plus est 110. de reg. jur.* Superlativus igitur, ut cum Grammaticis loquar, quia plures gradus comparationis complectitur, in uno quoq; verificatur *l. non est sine liberis 148. h. tit.* ratione potentiæ, eò quòd plures fundos habere potuisset *arg. l. proximi 155. pr. h. tit. ubi Alciat.* vel quòd plures unicus hic fundus repræsentare videatur *l. si mihi 92. pr. cum l. seq. §. quidam 2. de legat. 3.*

AD §. 1.

Pueri *appellatione etiam puella significatur. Nam & fœminas puerperas appellant recentes ex partu: & Græcè παιδίον communiter appellatur.*

HOc responso explicatur, qui *pueri* appellatione contineantur, quando quis omnes suos pueros

h. e. liberos, heredes instituisset; nempe non tantùm pueros masculos, sed etiam puellas instituisse. Quam decisionem Paulus duobus argumentis confirmat. Primum est, puerperæ appellationem etiam ad eam referri, quæ puellam enixa est, etiamsi à puero puerpera dicta sit. Altera ratio est, Græcos vocabulo παιδίον tam pueros, quàm puellas designare: etiamsi neutrius generis sit *h. l. ubi Godd.*

AD L. CLXIV.

Nomen filiarum *& in posthumam cadere, quæstionis non est, quamvis* posthumæ *non cadere in eam, eam, quæ jam in rebus humanis sit, certum sit.*

APpellatio filiarum comprehendit posthumam; quoniam pro natis habentur, quoties de commodo posthumorum agitur § *cum autem 4. Inst. de tutel. l. qui in utero est 7. de stat. hom.* At posthumæ appellatio non continet filiam *h. l. n.* Ratio est manifesta: quia contra naturam est, fingere in vivis esse, quod re ipsa existit. Fictio enim juris naturæ & veritati respondere debet *l. confessionibus 13 cum l. seq. de interrog. in jure fac.* Siquidem lex naturæ defectum, non ipsam naturam præveniendo eam supplet *l. adoptio 16. de adopt.*

AD §. I.

Partitionis nomen non semper dimidium significat: sed prout est adjectum. Potest enim juberi aliquis, & maximam partiri, posse & vicesimam, & tertiam, & prout libuerit. Sed si non fuerit portio adjecta, dimidia pars debetur.

QUandoq; heres hereditatem, aut legatum legatarius partiri jubetur, & quidem si pars adjecta sit,

ſit, illa debebitur; ſin adjecta non ſit, JCtus vult deberi dimidiam *h. l. n. & l. etiam 43. de uſufr. l. legata 19. §. fin. ff. de legat. 1.* Nulla enim pars magis eſt æqualis, quàm dimidia: Siquidem pars dicitur à pari, quòd partes ſimul junctæ pares ſint vel æquales toti *Godd. ad h. l. n.*

AD §. 2.

Habere *ſicut* pervenire, *cum effectu accipiendum eſt.*

HAbere *quis dicitur cum effectu*, ita ſc. ut id quod habemus, non poſſit à nobis avocari *l. aliud eſt capere ſup. h. tit.* Fur itaq; rem furto ablatam non dicitur habere cum effectu; quia impropriè tantum habet, & detinet ſaltem *l. alienum 6. C. de furt.* Adeoq: illud habere videmur, quod aut jure dominij noſtrum eſt; aut eo jure, ut ſine interpellatione alicujus hominis obtinere poſſimus *l. habere 188. h. tit.* ſic perveniſſe dicitur res cum effectu, quæ ita alicujus facta eſt, ne poſſit avocari *d. l. aliud eſt capere.*

AD L. CLXV.

Veniſſe ad heredem nihil intelligitur, niſi deducto ære alieno.

VEniſſe namq; ad aliquem dicitur, quod cum effectu venit *l. nomen filiarum 164. §. fin. h. tit.* quod ita pervenit, ut avocari non poſſit *l. non amplius pr. 26 de legat. 1. l. qui concubinam 29. §. cum ita legatum 2. de legat. 3.* Et ita hereditas accipitur in ſpecialiori ſignificatione, nempe de ea, quæ cum effectu, ita ut avocari nequeat, ad heredem pervenit, quæ ſecundum eſſe, non ſecundum dici, hereditas eſt.

Quippe illud ſaltem perveniſſe ad aliquem intelligitur, quod deducto ære alieno reſtat, cum hoc ſolummodò manſurum ſit *h. l. n. d. §. habere.*

AD L. CLXVI.

Urbana familia & ruſtica non loco ſed genere diſtinguitur. Poteſt enim aliquis diſpenſator *non eſſe ſervorum urbanorum numero: veluti is, qui ruſticarum rerum rationes diſpenſet, ibiq; habitet, non multum abeſt à villico.* Inſularius *autem urbanorum numero eſt. Videndum tamen eſt, ipſe dominus quorum loco quemcunq; habuerit: quod ex numero familiæ, & vicariis apparebit.*

LEgatis ſervis urbanis aut ruſticis, quæri ſolet, qui legato comprehendantur. Et quidem ſi legatur *familia quæ in urbe eſt*, locus exprimitur, & qui ruri ſunt, non videbuntur legati *arg. l. nam quod 4. §. ult. de penu leg. l. quemadmodum 12. de ſuppell. leg. Cujat. hic.* Sin verò legetur familia urbana, JCti non volunt locum ſpectari, ſed ſervorum genus, quod non tam ex loco, quàm ex fine & uſu æſtimatur *h. l. n.* eadem ratione, quâ & urbana & ruſtica prædia non loco, ſeu uſu diſtinguuntur *l. 27. h. tit.* Unde verò & quomodo uſus diverſitas inveſtiganda ſit, JCtus hic declarat exemplis diſpenſatoris & inſularij. *Diſpenſator* eſt œconomus, qui domus impendia curat, & victui præeſt. *Inſularius* eſt cuſtos inſulæ: Inſula dicitur ædificium non contiguum, ſed areâ vel publica vel privata circumdatum *Alciat. h. n. 5.* Addit JCtus definitionem generalem, videndum ſc. ſemper eſſe, ipſe dominus quorum loco quemq; habuerit. Nam licet ſervi unius generis ſint *§, fin. de jure*

per.

person. distributio tamen officiorum ex domini voluntate pendet. Videndum igitur in libellis est, an servus, de quo quæstio, inter urbanos, an rusticos numeratus & scriptus reperiatur *Cujat. ad h. l. n.*

AD §. I.

Pernoctare extra urbem intelligendus est, qui nulla parte noctis in urbe est. Per enim totam noctem significat.

PRomisi tibi centum, si pernoctaveris custodiæ causa in ædibus: quæritur, an satis sit, primâ, mediâ, aut postremâ noctis parte adfuisse? JCtus hic respondet, verbum *pernoctare* de tota nocte explicandum. Quia hæc est vis verbi *Per*, quòd integrum quid & perfectum, adeoq; consummationem rei denotat. *Alciat. & Godd. h. l.* Sic verbum *perdonare* plenam errati veniam significare, notat Gujatius *ad h. l.*

AD L. CLXVII.

Carbonum *appellatione materiam non contineri: sed an ligno? & fortaßis quis dicet, nec lignorum: non enim lignorum gratia habuit. Sed & titiones & alia ligna cocta, ne fumum faciant, utrum ligno, an carboni, an suo generi adnumerabimus? & magis est ut proprium genus habeatur. Sulphurata quoq; de ligno æquè eandem habebunt definitionem. Ad faces quoq; parata non erunt lignorum appellatione comprehensa, nisi hæc fuit voluntas. Idem & de nucleis olivarum, sed & de balanis est, vel si qui alii nuclei. De pinu autem integri strobili ligni appellatione continebuntur.*

TExtus hic loquitur, de eo tantùm ligno, quod ad carbones coquendos & conficiendos paratum est. Et hoc ipsum neq; lignorum appellatione, sed pro-

proprio genere explicari Ulpianus refert. Illud autem notandum est, differre lignum à materia. Nam *materia* est lignum propriè ad ædificandum fulciendumq; necessarium *l. ligni 55. de legat. 3.* at *lignum* est quidquid comburendi gratiâ paratum est. *d. l. ligni 55.* Carbones itaq; illi dicuntur propriè, qui jam sunt carbones. *Titiones* sunt torres extincti & semiusti. *Cocta ligna* sunt, quæ igne vel sole ita tosta, exsiccata, & peculiari studio arida reddita, ut nihil succi insit, quo fumus excitari queat. Exinde itaq; intelligitur, quidnam *materiæ*, quidq; *ligno* propriè adscribendum. *Godd. ad h. l. n.*

Ad L. CLXVIII.

Pali & perticæ in numerum materiæ redigendi sunt: & ideò lignorum appellatione non continentur.

PAlus est lignum acutum, quod in terram defigitur ad fundanda vel fulcienda ædificiorum fundamenta, aut ad castra munienda, vel claudendos hortos, aut sustinendas vites *sec. Columellam.* Pertica verò specialius est vocabulum, & ad solas vites pertinet, quibus adhibetur ad eas statuminandas: estq; baculus oblongus sive tener, fitq; non tantùm ex salice, sed quandoq; etiam ex arundineto necessitatis causa, ut videre est *in l. 9. circa fin. & 2. seqq. de usufr.*. Hi pali & perticæ in numerum materiæ redigendi sunt: adeoq; legato ligno, pali & perticæ, utcunq; ex ligno conficiantur, non debentur: quia in speciale nomen transeunt, & instrumentum sunt vineæ *l. villæ 16. §. 1. de instrum. & instruct. legat.*

Ad

AD L. CLXIX.

Non tantùm in traditionibus, sed & in emtionibus & stipulationibus, & testamentis adjectio hæc, uti optimus maximusq; est, *hoc significat, ut liberum præstetur prædium, non ut etiam servitutes ei debeantur.*

SI *optimus maximus fundus* legatus fuerit, quæritur, qualis hic fundus demonstretur & debeatur? Respondet JCtus, ejusmodi deberi, qui liber sit, non ut servitutes ei debeantur. Quod autem in hoc responso stipulatio, traditio, & adjectio testamentaria æquiparantur, illud ad modum demonstrationis referendum sit, non etiam ad effectum evictionis, cum diversum in contractibus obtineat *l. in tradendis ff. de contrah. emt. & l. si tibi liberum ff. de act. emti Godd. ad h. l.*

AD L. CLXX.

Heredis *appellatione omnes significari successores credendum est, etsi verbis non sint expreßi.*

SI legata relicta sint ab hærede præstanda; quæritur, An etiam ea debeantur à substitutis adeuntibus? Quod Ulpianus hic affirmat; & JCtus *in l. si plures gradus ff. de legat.* 3. confirmantur hæc *l. heredis 65. & l. sciendum 70. sup. h. tit.*

AD L. CLXXI.

Pervenisse *ad te rectè dicitur, quod per te ad alium pervenerit; ut in hereditate à liberto per patronum filiumfamilias patri ejus adoptivo acquisita responsum est.*

Per-

proprio genere explicari Ulpianus refert. Illud autem notandum est, differre lignum à materia. Nam *materia* est lignum propriè ad ædificandum fulciendumq; necessarium *l. ligni 55. de legat. 3.* at *lignum* est quidquid comburendi gratiâ paratum est. *d. l. ligni 55.* Carbones itaq; illi dicuntur propriè, qui jam sunt carbones. *Titiones* sunt torres extincti & semiusti. *Cocta ligna* sunt, quæ igne vel sole ita tosta, exsiccata, & peculiari studio arida reddita, ut nihil succi insit, quo fumus excitari queat. Exinde itaq; intelligitur, quidnam *materiæ*, quidq; *ligno* propriè adscribendum. *Godd. ad h. l. n.*

Ad L. CLXVIII.

Pali & perticæ in numerum materiæ redigendi sunt: & ideò lignorum appellatione non continentur.

PAlus est lignum acutum, quod in terram defigitur ad fundanda vel fulcienda ædificiorum fundamenta, aut ad castra munienda, vel claudendos hortos, aut sustinendas vites *sec. Columellam.* Pertica verò specialius est vocabulum, & ad solas vites pertinet, quibus adhibetur ad eas statuminandas: estq; baculus oblongus sive tener, fitq; non tantùm ex salice, sed quandoq; etiam ex arundineto necessitatis causa, ut videre est *in l. 9. circa fin. & 2. seqq. de usufr.*. Hi pali & perticæ in numerum materiæ redigendi sunt: adeoq; legato ligno, pali & perticæ, utcunq; ex ligno conficiantur, non debentur: quia in speciale nomen transeunt, & instrumentum sunt vineæ *l. villæ 16. §. 1. de instrum. & instruct. legat.*

AD L. CLXIX.

Non tantùm in traditionibus, sed & in emtionibus & stipulationibus, & testamentis adjectio hæc, uti optimus maximusq; est, *hoc significat, ut liberum præstetur prædium, non ut etiam servitutes ei debeantur.*

SI *optimus maximus fundus* legatus fuerit, quæritur, qualis hic fundus demonstretur & debeatur? Respondet JCtus, ejusmodi deberi, qui liber sit, non ut servitutes ei debeantur. Quod autem in hoc responso stipulatio, traditio, & adjectio testamentaria æquiparantur, illud ad modum demonstrationis referendum sit, non etiam ad effectum evictionis, cum diversum in contractibus obtineat *l. in tradendis ff. de contrah. emt. & l. si tibi liberum ff. de act. emti Godd. ad h. l.*

AD L. CLXX.

Heredis *appellatione omnes significari successores credendum est, etsi verbis non sint expressi.*

SI legata relicta sint ab hærede præstanda; quæritur, An etiam ea debeantur à substitutis adeuntibus? Quod Ulpianus hic affirmat; & JCtus *in l. si plures gradus ff. de legat. 3.* confirmantur hæc *l. heredis 65. & l. sciendum 70. sup. h. tit.*

AD L. CLXXI.

Pervenisse *ad te rectè dicitur, quod per te ad alium pervenerit; ut in hereditate à liberto per patronum filiumfamilias patri ejus adoptivo acquisita responsum est.*

Per-

PErvenisse rectè dicitur (subaudi, *non solum quod tu tibi ipsi acquisivisti, tuisq; rebus adnumerasti, verum etiam*) quod per te ad alium pervenerit: quod ipsum exemplo recitato confirmatur *in h. lege.*

AD L. CLXXII.

Liberti *appellatione etiam libertam contineri placuit.*

SEmper sexus masculinus continet fœmininum; inde liberti appellatione venit liberta *h. l. n.* de quo sæpius ante dictum est.

AD L. CLXXIII.

Collegarum *appellatione hi continentur, qui sunt ejusdem potestatis.*

POtestas hoc in loco generaliter usurpatur, & non solum de potestate magistratus *l. potestatis, 215. h. tit.* sed aliorum etiam, qui simul lecti sunt, & eandem habent potestatem, usurpetur *l. 1. de tut.* ubi tutela dicitur potestas, & tutores collegæ *l. 1. de magist. conven.* item illi, qui in corpus vel collegium assumti sunt *l. ult. de hered. dec.*

AD §. I.

Qui extra continentia urbis est, abest: cæterum usq; ad continentia, non abesse videbitur.

TUtor datur præsenti & absenti? Quis itaq; absens habeatur? quæstionis est. Equidem varia absentiæ consideratio est. At in hac quæstione ille abesse censetur, *qui non est intra urbis continentia l. absentem 199. eod.* Quod ita observatur in tutoris absentis excusatione *§. qui autem 6. Instit. de excusat. tut.*

qui

qui absens intelligitur, si non sit eo loci, in quo petitur *d. §. 6.*

AD L. CLXXIV.

Aliud est promittere **furem non esse, *aliud*** **furto noxaq; solutum. *Qui enim dicit* furem non esse, *de hominis proposito loquitur: qui* furtis noxaq; solutum, *nemini esse furti obligatum promittit.***

IN *hac lege* traditur, differre hæc duo, promittere *furem non esse*, aliud *furto noxaq; solutum.* Illo enim casu de hominis proposito servum venditum furem non esse; hoc casu de hominis obligatione servum venditum nemini furti obligatum esse, promissio fit. Etsi enim ex sola animi propositione dicere furem possimus, etiamsi rem alienam nunquam invito domino contrectavit *l. 225. h. tit.* magis tamen est, ut non propositionem solum, sed assumto aliquo actu furem intelligamus. *l. 225. eod.*

AD L. CLXXV.

Faciendi *verbo, reddendi etiam causa continetur.*

CUm verbum *facere*, largiori vocabuli significatione, omnem causam *dandi & faciendi* complectatur *l. verbum facere 218. h. tit.* utique & reddendi causa eo continetur; quia vel ad dandi vel faciendi verbum, vel ad utrunq; referatur, necessum est. Alias propriè loquendo *facere* opponitur *dationi*: unde & stipulationes quædam in dando, quædam in faciendo consistere dicuntur *l. 2. de verb. oblig.*

Ad L. CLXXVI.

Solutionis *verbo, satisfactionem quoq; omnem accipiendam placet; solvere dicimus eum, qui fecit, quod facere promisit.*

Solutionis verbum & generaliter & specialiter usurpatur. Generaliter pro satisfactione ponitur, quo significatu satisfactio pro solutione esse dicitur *l. satisfactio 52. de solut.* In hoc significatu JCtus *hic* solutionis verbum accipit. Specialiter pro naturali & reali nummorum & ejus quod debetur, prout debetur, numeratione accipitur *in pr. Instit. Quib. mod. tollit. oblig., l. 2. §. 1. & 4. de reb. cred.*

Ad L. CLXXVII.

Natura cavillationis, quam Graeci ΣΩΡΙΤΗΝ *appellaverunt, haec est, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea quae evidenter falsa sunt, perducatur.*

Ulpianus hoc loco proponit soritae definitionem. Sorita autem vel est falsus & vitiosus est, & hoc loco à JCto cavillatio dicitur, quae ab evidenter veris, ad ea quae evidenter falsa sunt, perducat. Sed tamen ex falsis propositionibus quandoq; sorites veram efficit conclusionem, *veluti*: Omne praedium in jure consistit: Omnis servitus est praedium; Ergò omnis servitus in jure consistit. *late Godd. ad h. l. n.*

Ad L. CLXXVIII.

Pecuniae *verbum, non solum numeratam pecuniam complectitur, verùm omnem omninò pecuniam, hoc est, omnia corpora. Nam corpora quoq; pecuniae appellatione contineri, nemo est qui ambigat.*

Ven-

VEnditor tenetur omnem pecuniam hereditariã, quæ erat, cum emtio venditio contraheretur. Quid igitur est pecunia? Respondet Ulpianus, *pecuniæ verbum omnem, omninò pecuniam, hoc est, corpora omnia continere h. l. n.* Non ergò æstimationem, non quantitatem, quæ ex bonis defuncti refici potest, sed ipsa hereditaria corpora & jura dabit venditor *l. 4. l. 5. sup. h. tit.*

AD §. I.

Hereditas juris nomen est, quod & accessionem in se recipit: hereditas vel maximè fructibus augetur.

QVia hereditas non corpus significat, sed juris universi nomen est *l. 1. de rer. divis.* ideoq; & accessionem & decessionem in se recipere, atq; ita per consequens fructibus, aliisq; accessionibus & incrementis augeri, indicat Ulpianus *ad h. l. n.*

AD §. 2.

Actionis *verbum & speciale est, & generale: nam omnis actio dicitur, sive in personam, sive in rem sit petitio: sed plerumq; actiones personales solemus dicere.* Petitionis *autem verbo in rem actiones significari videntur:* Persecutionis *verbo extraordinarias persecutiones puto contineri: utputa fideicommissorum, & si quæ aliæ sunt, quæ non habent juris ordinarii executionem.*

ACtionis nomen & generis & speciei nomen est *h. §. n.* Generaliter actiones in rem & in personam, ut & mixtas continet *tot. tit. Inst. de act. l. ult. C. de hered. vel act. vend.* Specialiter de actionibus in personam accipitur *h. §. n. & §. appellamus autem 15. Instit. de act.* Ab utraq; hac actionis specie segregantur *persecutiones*, utpote omnes extraordinariæ petitiones. *Godd. ad. h. l.*

AD §. 3.

Hoc verbum debuit, *omnem omninò actionem comprehendere intelligitur, sive civilis, sive honoraria, sive fideicommissi fuit persecutio.*

DEbiti appellatione non id solummodò intelligendum est, quod ex personali aliqua obligatione debetur; sed & is quoq; qui rei vendicatione convenitur, & à quo extra ordinem quid postulari potest debitor, nobisq; quid debere dici potest *h. l. n.* Quocirca in actionis definitione nihil mutandum, nihil addendum *Godd. ad h. l. n.*

AD L. CLXXIX.

Inter hæc verba, quanti ea res erit, vel quanti eam rem esse paret, *nihil interest: in utraq; enim enim clausula placem veram rei æstimationem fieri.*

ID quod interest, longè distat ab his verbis, *Quanti ea res erit, vel quanti eam rem esse paret h. l. n. & l. 93. eod.* Hæc enim verba *quanti ea res est*, ad veram rei æstimationem referuntur: *Id quod interest*, pro facti varietate variè & diversimodè æstimatur *Cujat. 9. obs. 31. Godd. ad h. l.*

AD L. CLXXX.

Tugurij *appellatione omne ædificium, quod rusticæ magis custodiæ convenit, quàm urbanis ædibus, significatur. Ofilius ait, tugurium à tecto tanquam tegularium esse dictum, ut toga, quòd eà tegamur.*

HOc loco proponitur tugurij definitio tam nominis, quàm rei. *Definitio rei* exprimitur genere & differentia. Generis loco ponitur omne ædificium.

cium. Sed quia hoc vel urbanum est, vel rusticũ, removet inprimis urbanum, & ex rusticis illud demum ædificium vel tugurium dici, quod rusticæ custodiæ convenit. *Nominis definitio* adfertur ex Ofilio, *ab ipso definito*; quoniam tugurium JC. deducit à tecto tanquam tegularium: *itemq; à simili*, nimirum à toga, quæ & ipsa à tegendo dicta *Godd. ad h.l.*

AD L. CLXXXI.

Verbum illud pertinere *latißimè patet. Nam & eis rebus petendis aptum est, quæ dominij nostri sunt: & eis quas jure alioqui poßidemus. Pertinere ad nos etiam ea dicimus, quæ in nulla eorum causa sint, sed esse poßint.*

PErtinere ad nos, quid & quàm variè significet, hac lege liquidò explicatur. Non solum enim illa significat, quæ sunt nostri dominij, vel quasi, verum etiam ea quæ possidemus, licet proprietas ad alium spectet, ut est emphyteusis, ager vectigalis, superficies, feudum *l. 1. si ager vectig. l. 3. de reb. eor.* & generaliter omnia in quibus aliquod jus mihi cõpetit *l. si quis 6. §. ex hoc ædicto 4. & seq. de edendo l. prætor ait 9. §. his verbis 3. de reb. author. jud. poßid.*

AD L. CLXXXII.

Paterfamilias liber peculium non potest habere, quemadmodum nec servus bona.

HÆc lex dicit de *patrefamilias libero*: quia non omnis liber est paterfamilias; nec olim omnis paterfamilias simpliciter liber, *Cujat. Gothofr. & Godd. ad h. l.* Paterfamilias autem non potest peculium habere, ex natura peculij, quæ in patremfamilias non quadrat. Nam peculium est parva pecunia

concessa servo vel filiofamilias ab eo, in cujus potestate est *l. 4. l. 5. l. 6. peculium 39. de pecul.* Sic servus bona habere non potest *h. l. n.* Servi enim cum ipsi inter res habeantur, nihil habere possunt proprij, sed quicquid acquirunt, dominorum est *§. item vobis Instit. per quas pers. nobis acquir.*

AD L. CLXXXIII.

Tabernæ *appellatio declarat omne utile ad habitandum ædificium: non ex eo quod tabulis cluditur.*

ULpianus vocat nos ad primam ædificiorum originem, quâ Romani in parvis ædiculis, quæ ex tabulis fiebant, & claudebantur, habitarunt *Alciat. in l. inde 184. h. tit.* Inde ædes suas tabernas dixerunt, quod tabulis & clauderentur & operirentur *Brech. ad d. l. inde.* Hic mos ædificandi licet postea desierit, cum splendidas ædes & sumtuosas extruere cœperunt: usus tamen retinuit hoc vocabulum, ut omne ædificium, sive ad habitandum principaliter, sive ad negotiationem exercendam comparatum sit, hac voce contineatur *Cujat. & Godd. ad h. l.*

AD L. CLXXXIV.

Inde tabernacula & contubernales dicti.

SIcuti veteres Romani suas ædes, eò quòd ex tabulis olim fiebant, appellarunt; ita & casas militares sive tentoria, & consequenter reliqua etiam tentoria extra militiam nominarunt tabernacula, eò quòd primitus ex tabulis & hæc tentoria fieri solerent *Cujat. ad h. l. Alex. ab Alex. lib. 1. gen. dier. cap. 12.* Addit Ulpianus *in hac lege,* & contubernales inde dictos

quia

quia sc. in ijsdem tabernis sive habitationibus & tentorijs familiariter habitarent: & potissimùm militibus tributum ab initio hoc nomen fuit *l. rem mihi 21. §. 1. ff. commod. l. non omnes 5. §. à barbaris 6. de re milit.*

AD L. CLXXXV.

Instructam *autem* tabernam *sic accipimus, quæ & rebus & hominibus ad negotiationem paratis constat.*

FUndo instructo legato, omnia, quæcunq; usus sui gratia paterfamilias ad colendum agrum habuit, continentur, & non solùm suppellex, verùm etiam ministeria *l. quæsitum 12. §. proinde 28. cum seqq. de fundo instructo legato.* Nec enim instructus verè dici potest, cui desunt instrumenta. Igitur & tabernâ instructâ legatâ, venient non solùm merces, verum etiam homines sive servi, qui negotiationi fuerunt præpositi *l. tabernæ d. tit. Alciat. & Godd. ad h. l.*

AD L. CLXXXVI.

Commendare *nihil aliud est, quàm deponere.*

ULpianus dicit, *commendare*, videlicet rem custodiæ causa, *nihil aliud est quàm deponere h. l. n. & l. cum hereditas 9. C. depos.* Differt itaq; *commendare* & commendatum, *à commodare* & commodato. Commendatum propriè depôsitum est, quia in deposito res ipsa traditur, & custodiæ amici totaliter & plenissimè commendatur. *d. l. cum hereditas 9. & l. 6. C. depositi.* Aliud est commodum §. 3. *Inst. Quib. mod. re contrah. oblig.*

AD L. CLXXXVII.

Verbum exactæ pecuniæ *non solùm ad solutionem referendum est, verùm etiam ad delegationem.*

VErbum hoc *exactæ pecuniæ* latè accipitur, nempe non tantùm de reali numeratione, sed & qualibet liberatione; cujusmodi est novatio, acceptilatio, pignoris datio volente creditore facta, idque *delegationis* exemplo innuit Ulpianus *h. l. n.* Nam qui delegat solvit *l. si ex pluribus 16. de acceptil.* estq; numeratio, quæ brevi quasi manu fit *l. singularia ff. de reb. cred.*

AD L. CLXXXVIII.

Habere *duobus modis dicitur: altero, jure dominij: altero, obtinere sine interpellatione id, quod quis emerit.*

HAbet qui jure dominij habet, puta, qui rei dominus est *l. stipulatio ista §. habere de verb. oblig.* Quo casu *habere* cum effectu accipi debet *l. 164. sup. h. tit.* Deinde habet, qui rem emit, & sine interpellatione obtinet, quod tunc contingit, quando venditor non tenetur rem accipientis facere, h. e. quando res vendita securè ab emente habetur, nec evinci potest *h. l. n.*

AD §. I.

Cautum intelligitur, sive personis sive rebus cautum sit.

CAvere generaliter accipitur, & comprehendit omnem securitatem, *sive illa fiat personis*, vel suismetipsis, ut contingit in eo, qui nudè sive suo nomine

mine promittit *l. 1. §. stipulatio duplæ ff. de præt. stipulationum & hoc §. n.*

AD L. CLXXXIX.

Facere oportere, *& hanc significationem habet, ut abstineat quis ab eo, quod contra conventionem fieret: & curaret, ne fiat.*

QUi promittit se omnia facturum *quæ facere oportet*, non solùm suum factum, sed & alienum promittit, quatenus sc. id prohibere potest *per hanc l. nost. l. qui non facit 121. ff. de reg. jur.*

AD L. CXC.

Provinciales *eos accipere debemus, qui in provincia domicilium habent, non eos, qui ex provincia oriundi sunt.*

HUjus legis verbis vult JCtus non originem sive nativitatem, sed domicilium facere provincialem: quamvis etiam qui originem ex provincia habet, domicilium ibidem habere possit, Quo casu non ob originem, sed quòd domicilium in provincia habeat, pro provinciali habebitur. Qui itaque habet potestatem in provinciales, non habet potestatem in eos, qui quidem origine sua ex ea provincia, sed alibi domicilium constituerunt. *Cujat. ad h. l.*

AD L. CXCI.

Inter divortium & repudium hoc interest, quòd repudiari etiam matrimonium futurum potest; non rectè autem sponsa divertisse dicitur. Quod divortium ex eo dictum est, quod in diversas partes eunt, qui discedunt.

DIvortium & repudium differre videntur, ut genus & species. Omne divortium potest dici repudium *Breih. ad l. inter divortium 191.* sed non vice versa, omne repudium etiam est divortium; cum repudium in specie acceptum, non quæsitum, sed quærendum sive futurum repudiet *l. 1. §. decretalis 7. de success. edict. l. 15. potest 18. de acquir. hered. d. l. inter divortium 191. sup. h. tit.*

AD L. CXCII.

Hæc adjectio, plurisve, *non infinitam pecuniam continet, sed modicam, ut taxatio hæc,* solidos decem plurisve, *ad minutulam summam referatur.*

IN rerum æstimationibus & pretijs, quæ incerta & pro varietate temporum varia sunt, definiendis, certi esse semper non possumus, maximè si res, quam fortè in judicio petimus, perierit, & retrò secundum tempora præterita æstimatio ejus ineunda sit, quo casu satis erit, ut rem quali quali æstimatione definiamus; puta, rem meam, quæ decem aureorum, vel circiter, aut, ut JC. hoc loco inquit, pluris fuerit, restitui mihi peto. Sed verbum *pluris,* quomodo interpretabimur? Et taxationem hanc ad minutulam summam referri debere, JCtus hoc loco respondet. *fac. l. 132. h. tit.* Nemo enim immodicè obligari voluisse præsumitur *l. si libertus 30. pr. de oper. libert.* Igitur regula hic quoq; locum obtinebit, quo dicitur; In dubio id quod minimum est, sub quo & modicum continetur, sequimur *l. semper 9 l. 34. de reg. jur.*

AD

AD L. CXCIII.

Hæc verba, Quanti eam rem paret esse, *non ad id quod interest, sed ad rei æstimationem referuntur.*

SI æstimatio rei non ex affectione actoris, sed communi valore facta ponitur *l. si servum 33. pr. ad L. Aquil.* & probata est, ex actis illa apparere dicitur. Igitur nulla est differentia inter duas illas clausulas, *quanti ea res erit, & quanti eam rem esse apparet.* Cætera tractat Goddæus *ad l. 179. sup. h. tit.*

AD L. CXCIV.

Inter donum & munus *hoc interest, quod inter genus & speciem. Nam genus esse donum Labeo à donando dictum, munus speciem. Nam munus esse donum cum causa, utputa, natalitium, nuptalitium.*

CUm donum generaliter omnem rem donatam significet, & in donum in specie sic dictum, quod fit sine causa, & in munus distinguatur, Ulpianus donum ait genus esse, sive generis vicem obtinere, munus speciei *sup. ad l. 18. h. tit.*

AD L. CXCV.

Pronunciatio sermonis in sexu masculino, ad utrumq; sexum plerumq; porrigitur.

SÆpè antè dictum est, masculinum continere fœmininum *l. verbum hoc 1. l. qui duos mulos 62. de legat. 3. & passim & h. l. n.* sic Ulpianus *in l. 2. ff. unde cognati* respondit: fœminam ad agnati sui successionem admitti: Quia pronunciatio sermonis masculini, vulgariter utrumque sexum complectitur *h. l. n.*

Ad §. I.

Familiæ *appellatio qualiter accipiatur, videamus. Et quidem variè accepta est: nam & in res & in personas deducitur. In res, utputa in lege duodecim tabularum his verbis:* Agnatus proximus familiam habeto.

VOcabulum familiæ varias habet significationes; accipitur namq; de re sive patrimonio, itemq; de personis: Ad *Res* solas, sive hereditatem universam refertur in lege XII. tabb. his verbis: *proximus agnatus familiam habeto h. l. n.*

Ad §. 2.

Ad personas autem refertur familiæ *significatio ita, ut cum de patrono & liberto loquitur lex:* Ex ea familia *inquit,* in eam familiam. *Et hic de singularibus personis legem loqui constat.*

CUm ad *personas* refertur, itidem varia habet significata: Refertur enim vel ut ad singulas res, vel ut ad plures. Si ut ad plures, tunc refertur velut ut ad corpus, vel ut ad gentis nostræ originem. Si ut ad corpus, id fit dupliciter, vel enim status œconomicus consideratur, vel jus commune, quo omnes agnatos cognatosq; nostros complectimur, de quibus singulatim dicetur. *Ad personas autem* (inquit JC. Ulpianus in hoc §. 2.) *refertur familiæ significatio ita, ut cum de patrono & liberto loquitur lex. Ex ea,* inquit, *familia* (scilicet ex qua Titius manumissus est) *in eam familiam* scilicet adscribatur. Cùm dicimus Titium libertum esse ex familia Seij, de singularibus personis, nempe de hoc Titio loquimur,

non

non de cognatis vel agnatis patroni & liberti. Vult enim lex libertum esse hujus Seij, non aliorũ cognatorum vel agnatorum ejusdem: quasi dicat JCtus; non esse libertum omnium, qui sunt ex ea familia, sed adscribendum in eam familiam, scilicet, quæ est Seij.

AD §. 3.

Familiæ *appellatio refertur & ad corporis cujusdam significationem, quod aut jure proprio ipsorum, aut communi universæ cognationis continetur. Jure proprio familiam dicimus plures personas, quæ sunt sub unius potestate aut natura, aut jure subjectæ: utputa,* patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias, quique deinceps vicem eorum sequuntur, *utputa*, nepotes & neptes & deinceps. *Pater autem familias appellatur, qui in domo dominium habet, recteq; hoc nomine appellatur, quamvis filium non habeat. Non enim solam personam ejus, sed & jus demonstramus. Deniq; & pupillum patremfamilias appellamus, & cum paterfamilias moritur, quotquot capita ei subjecta fuerunt, singulas familias incipiunt habere. Singuli enim patrumfamiliarum nomen subeunt: Idemq; eveniet & in eo, qui emancipatus est: nam & hic sui juris effectus propriam familiam habet. Communi jure familiam dicimus* omnium agnatorum. *Nam etsi patrefamilias mortuo singuli singulas familias habent: tamen omnes, qui sub unius potestate fuerunt, rectè ejusdem familiæ appellabuntur, qui ex eadem* domo *&* gente *proditi sunt.*

PRoponitur *in h. §. nostro* subdivisio familiæ, quatenus corpus denotat, in propriam & communem. *Propria* est, cum plures personæ unius patrisfamilias potestati subjiciuntur, id quod fit vel naturâ, vel jure. Quos *natura* nobis subjiciat, enumerat JC. *hoc. §. 3.* utputa, *inquit*, patremfamilias, ma-

matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilia , quique deinceps eorum sequuntur, utputa nep :- tes, & neptes, & deinceps. *Paterfamilias* autem a :- pellatur, qui in domo dominium habet *h.* § 3. r :- ĉteq; hoc nomine appellatur, quamvis filium nc n habeat. Non enim solam personam ejus, sed & j is demonstramus *h.* §. 2. Deniq; *ait Ulpianus*, & p i- pillum appellamus patremfamilias. Quia patre :- familias dicimus, qui suæ sunt potestatis, sive pub :- res sive sint impuberes *l. nam civium* 4. *de his qui su it sui vel al. jur.* Deinde *jure* subjiciuntur patrisfamilias potestati; non tantùm jure *naturali & divino*, quo pertinent liberi, item uxores *Genes.* 3. *v.* 16. sed etiam *civili*, ut in adoptione solet evenire, *& gentiū*, uti servi subjiciuntur dominis. Atq; hæc de propria cujusq; familia accipienda. *Familiam communem* sive communi jure universæ cognationis definimus universam agnatorum gentiliumq; cognationem, quæ est eorum, qui ex eodem patrefamilias originem gentemq; suam trahunt; etiamsi singuli propriam alant familiam, suiq; juris omnes existant, aut adhuc in potestate sint *h.* §. *nostr. verb. communi jure familiam dicimus.*

AD §. 4.

***Servitium quoq; solemus appellare familias, ut in edicto** Prætoris **ostendimus** sub titulo de furtis, **ubi Prætor loquitur de familia publicanorum: Sed ibi non omnes servi, sed corpus quoddam servorum demonstratur, hujus rei causa paratum, hoc est,** vectigalis causa. **Alia autem parte edicti omnes servi continentur, uti** de hominibus coactis, & vi bonorum raptorum: **Item** redhibitoria, **si deterior res reddatur** *

emto-

emtoris opera aut familiæ ejus. Et interdicto unde vi, *familiæ appellatio omnes servos comprehendit.*

JUre gentium familitiæ appellatione servitia veniunt *h.* §. 4. Referuntur scilicet ad personas sicut privatio. Deinde *servitium* vix hic generaliter usurpatur, & omnes comprehendit, qui sunt in servitio alicujus, etiam liberos homines bonâ fide servientes *h.* §. *servitium in fin. l* 1. §. *familias* §. *de publican.* Servi autem sive certæ rei causa parati sint, *puta, causa vectigalis.* sive non, ut certum corpus considerantur. Sic familia publicani consideratur; si illa furtum fecit, si vi bona rapuit *d.* §. *servitium l.* 1. §. *familiæ* 5. *de publican. l.* 2. §. *familiæ* 5. *vi bon. rapt* Si familia furtum fecisse dicitur *l.* 1. §. *familiæ* 18. *de vi & vi arm. l. ædiles* 25. §. *familiæ* 1. *ff. de ædilit. edict.*

Ad §. 5.

Sed & filij continentur.

HIc §. accipiendus est de filijs emancipatis, qui agnationis & gentis jure nituntur *d.* §. 3. *vers. communi jure. l. peto* 69. §. *fin. de legat.* 2. Generalis enim est *hic versiculus*, & pendet ex prima & secunda *familiæ* significatione, quæ ad personas refertur. *Godd. ad h.* §. 5.

Ad §. 6.

Item appellatur familia *plurium personarum, quæ ab ejusdem ultimi genitoris sanguine proficiscuntur; sicut dicimus* familiam Juliam, *quasi à fonte quodam memoriæ.*

FAmilia generaliter totam gentem complectitur, ita ut omnes personæ, sive sint consanguineæ, sive non, sive masculi sint, sive fœminæ, connumerentur.

rentur; ut cum dicimus *familiam Juliam.* Tunc enim ab ultimo genitore, *nempe retrò computando, si à nobis initium facimus, & progredimur ad fontem, qui aliàs stirps, item stipes vocari solet,* omnes qui ab ejusdem sanguine proficiscuntur, hac voce continentur *h. §. n. 6.*

AD §. 7.

Mulier autem familiæ suæ & caput, & finis est.

MUlier vocatur caput, quia unà cum marito dominium in domo habet, ejusq; familiam constituit sobolis procreatione; ac finis appellatur, quia quam sobolem enixa est, non in sui patris, sed mariti potestatem familiamq; protrudit, *Godd. ad h. §. 7. n. 1. Wesenb. ad §. fin. Inst. de patria potest.*

AD L. CXCVI.

Familiæ *appellatione & ipse princeps familiæ continetur. Fœminarum liberos in familia earum non esse, palam est: Quia qui nascuntur, patris non matris familiam sequuntur.*

IN præcedenti responso docuit Ulpianus, *familiæ* appellationem & ad res, & ad personas referri: Quod si ad personas, variè accipi, inprimis verò referri *ad corpus cognationis;* & tum duplicem vim habere; aut enim significare familiam cujusq; *propriam,* aut *communem* agnatorum. Propriam constare patrefamilias, matrefamilias, liberis & servis. Quare ex Cajo hæc subjiciuntur confirmandi gratià, *familiæ appellatione & ipsum familiæ principem,* id est, patremfamilias, *contineri.* Non enim solis constat membris, sed capite & membris. Cætera plana sunt de

fœ-

fœminarum liberis, quòd eæ in illarum familia non sint *Godd. ad h. l. n.*

AD L. CXCVII.

Indicasse & *detulisse, arguisse, accusasse, & convicisse.*

SErvus qui necem defuncti *indicaverit*, pro præmio libertatem consequitur *l. 1. §. 5. Ex quib. caus. maj.* Indicasse cum effectu accipiendum: Id quod JC. significat, dum ait; *indicasse idem esse, quod detulisse.* Deferre autem idem est, quod accusare, id est, coram judice nocentem nominare, & ut cognitionem suscipiat petere *l. deferre 18. de jure fisci junct. l. qui accusare 9. de accusat.* Prœmium igitur, quod olim erat quarta pars bonorum condemnati, ei, qui criminis reum indicârit vel arguerit, propositum ei debetur, qui cum effectu indicavit, vel arguit, qui simul etiam reum peregit *Alciat. ad h. l. n.*

AD L. CXCVIII.

Urbana prædia *omnia ædificia accipimus, non solùm ea, quæ sunt in oppidis, sed & si fortè stabula sunt, vel alia meritoria in villis, & in vicis, vel si prætoria voluptati tantùm deservientia,* Quia urbanum prædium non locus facit, sed materia. *Proinde hortos quoque, si qui sunt in ædificiis constituti, dicendum sit, urbanorum appellatione contineri. Planè si plurimum horti in reditu sunt, vinearij forte, vel etiam olitorij, magis hæc non sunt urbana.*

URbanum prædium facit non locus, sed *materia.* Ubi notandum, materiam non significare materiam ex qua, ut lapides (sic enim omnia ædificia essent urbana *l. fundi 211. h. tit. contra l. 4. In quib. caus. pign.*

pign. tacitè contrah.) ſed qualitatem & finem, à quo forma dependet, quem ædificium præbet, qui ex materia ſive rebus, quæ ibi habentur, dijudicatur, hanc totam rem æſtimamus *l. urbana familia 166. h. t.* Quæ igitur prædia paterfamilias habitationis voluptatiſve cauſa habet, aut ex quibus penſiones recipit, etiamſi vini ſint, tamen urbana dicemus. Et vice verſa, quæ non ad habitandum, ſed cogendos fructus, & rem ruſticam exercendam comparata ſunt, ruſtica nominamus; licet in urbe ſint extructa *l. 1. Comm. prædior.*

AD L. CXCIX.

Abſentem *accipere debemus eum, qui non eſt eò loci, in quo loco petitur. Non enim trans mare abſentem deſideramus. Et ſi fortè extra continentia urbis ſit abſens. Cæterùm usq; ad continentia non abeſſe videbitur, ſi non latitet. Abeſſe non videtur, qui ab hoſtibus captus eſt, ſed qui à latronibus detinetur.*

NOn ſolùm præſens præſenti, ſed etiam abſens præſenti, & abſens abſenti tutor dari poteſt *l. 5. & seqq. ff. de tutorib. & curatorib. dat. ab his.* modò is qui datur, & cui datur, ejusdem ſint provinciæ vel municipij *l. 1. l. 3. eod.* Quis ergò abeſt? Reſpondet Ulpianus; *Abſentem* in hac quæſtione, *intelligere debemus eum, qui non eſt eò loci, in quo loco petitur.* Sed dixerit fortè aliquis; ſi is pro abſente habendus, qui non eſt eò loci, in quo loco petitur, neceſſe erit hunc trans mare abeſſe. Cui reſpondet Ulpianus, Imò verò etſi hic quoq; abſens ſit, adeò tamen ſtrictè in hoc tractatu *abeſſe*, & *locum* non interpretamur;

mur, ſed ſatis eſt, ſi uſq; ad continentia urbis ſit, intellige incluſivè, ſi ſc. in continentibus urbis ſit *l. id eſt 10. de dolo l. item ſi 14. §. quatenus 10. Quod met.cauſ. l. 1. §. 1. de peric. & comm.rei vend.* Quia & abeſſe non videtur, qui ab hoſtibus captivus eſt, ſed qui à latronibus detinetur, ſcilicet, abeſſe *h. l. n.* Scilicet, captus ab hoſtibus libertatem amittit, & quandiu eſt apud hoſtes, caput non habet *l. ult. de capit. deminn.* quia qui capiebantur, pro ignavis habebantur, ideoq; Romani etiam parva pecunia, quandoq; captivos redimere noluerunt, ut eſſet militibus inſitũ, aut vincere, aut mori *Cic. 3. offic.* Igitur nec perſonam ſtandi in judicio habet *l. ſervus 6. C. de judic. l. cum ſervo 107. de reg. jur.* Quæ ratio ceſſat in capto à latronibus aut piratis. Manet enim liber *l. poſtliminium 19. §. à piratis 2. l. hoſtes 24. l. latrones 27. de capt. & poſtlim. rev.* Ille qui ab hoſtibus captus eſt, abeſſe non videtur. nec procurator ejus nomine dandus; quia nulla ejus ratio habetur, neq; in judicio, neq; in alijs negotijs, quæ per liberas perſonas ſunt expedienda. Hic qui captus eſt à piratis, à latronibus abeſſe cenſeri debet; quia caput in Repub. Romana adhuc habet, ac proinde ejus ratio habenda eſt, *adde l. hoſtes ſunt 24. de capit. & poſtlim. reverſ.*

AD L. CC.

Hæc ſtipulatio, noxis ſolutum præſtari? *non exiſtimatur ad eas noxas pertinere, quæ publicam exercitionem & coercitionem capitalem habent.*

HÆc ſtipulatio reſpicit ædilitium edictum, quod inter alia ad extirpandas fraudes, coërcendasq;

venditorum fallacias inventum eſt, & tractat de di-rimendis controverſijs, in actionibus rerum emta-rum redhibendarum, & quanti minoris *l. 1. §. 1. de ædil. edict.* In publicis criminibus noxali actioni, quæ in ſervos duntaxat datur, *§. fin. Inſtit. de noxal. act.* locus non eſt. Siquidem neq; lex, neq; Prætor de ijs verba fecit. §. *ſunt autem Inſtit. de noxal. act.*

Ad L. CCI.

Juſta interpretatione recipiendum eſt, ut appel-latione filij, *ſicuti filiumfamilias contineri ſæpè reſpon-dimus, ita & nepos videatur comprehendi: & patris nomine avus quoq; demonſtrari in-telligatur.*

HOc reſponſum duo continet. *Primum* eſt, fili appellatione & filiam & nepotes juſta interpre-tatione comprehendi: alterum eſt, patris appella-tione demonſtrari quoq; avum *l. filij 84. l. appellatio-ne 51. h. tit.* Scilicet, *juſta interpretatione*, quando cau-ſæ favor aliquis oſtenditur, & eadem ſubeſt rationi æquitas. V. G. Patri datur jus occidendi adulterum cum filia; id non extenditur ad alium ex patribu *l. patri 20. ad L. Jul. de adult.* quia ceſſat ratio. Non enim hoc jus patri, ut patri permittitur, ſed quate-nus filiam in poteſtate habet *Alciat. h.*

Ad L. CCII.

Cum in teſtamento ſcriptum eſſet, ut heres in fu-nere, aut in monumento duntaxat, aureos centum conſu-meret: non licet minus conſumere. Si amplius vellet, licet; neq; ob eam rem contra teſta-mentum facere vide-tur.

Teſta

TEstator hac taxatione sumtuum heredi voluit consulere, ne nimios sumtus in monumentum, vel in funus impendat, sed mediocres, qui videantur sufficere dignitati & existimationi defuncti *l. 1. si quis 14. §. hæc actio 6. de relig.* Hinc suo favori heres renunciandi potestatem habet *l. pen. C. de pact.* Quid enim si ex consuetudine regionis paulò majores sumtus sine dedecore omitti non potuere? *Bart. in l. pecuniæ. de aliment. legat.*

AD L. CCIII.

In lege censoria portus Siciliæ ita scriptum erat; Servos quos domo quis ducet suo usu, pro his portorium ne dato. *Quærebatur, si quis à Sicilia servos Romam mitteret fundi instituendi causa, utrum pro his hominis portorium dare deberet, nec ne? Respondit, duas esse in hac scriptura quæstiones: primum, quid esset* domum ducere? *quid esset* suo usu *ducere? Igitur quæri soleret, utrum, ubi quisq; habitaret, sive in provincia, sive in Italia, an duntaxat in sua cujusq; patria* domus *esse rectè diceretur. Sed de ea re constitutum esse, eam domum unicuiq; nostrûm existimari, ubi quisq; sedes & tabulas haberet, suarumq; rerum constitutionem fecisset. Quid autem esset* usu suo *magnam habuisse dubitationem. Et magis placet, quod victus sui causa paratum est, tantùm contineri. Itemq; de servis eadem ratione quære, qui eorum usus sui causa parati essent: utrum dispensatores, insularij, villici, atrienses, textores, operarij quoq; rustici, qui agrorum colendorum causa haberentur, ex quibus agris paterfamilias fructus caperet, quibus se toleraret, omnes deniq; servos, quos quisq; emisset, ut ipse haberet, atq; eis ad aliquam rem uteretur: neq; ideò emisset, ut venderet. Et sibi videri eos demum usus sui causa patremfamilias habere, qui ad ejus corpus tuendum, atq; ipsius cultum præpositi destinatiq; essent. Quo in genere junctores, cubicularij, coci, ministratores, atq; alij, qui ad ejusmodi usum parati essent, numerarentur.*

JCtus in hac lege duas resolvit quæstiones. Prior est, *quid sit domum ducere?* Respondet: *Eam domum unicuiq; nostrum existimari, ubi quisq; sedes & tabulas habet, suarumq; rerum constitutionem fecit.* Dicit, *in qua quis sedes* (perpetuas *l. fundi 17. §. Labeo 7. de act. emt.*) *& tabulas* (id est rationes accepti & expensi: tabulas siquidem rerum familiarium non conficere, hominis dissolutissimi est) *habet; suarumq; rerum constitutionem fecit*; eo scilicet animo, quòd velit ibi manere *l. libertus 17. §. sola domus 13 l. domicilium 20. l. assumtio 6. §. viris 2. l. ejus qui 27. §. pen. ff. ad municip.* Posterior quæstio est, quid sit *usu suo ducere?* Respondet JCtus Alphenus: *Quod victus sui causa paratum est, tantum contineri.* Cui scilicet conceditur usus, nihil amplius conceditur, quàm ut ipse utatur *§. minus autem 1. Inst. de usu & habit.* Igitur & hac lege illud tantùm, quod ad victum & cultum ipsius patrisfamilias ducitur, continebitur *h. l. n.* Cui consequens est, usu suo ducere patremfamilias eos servos, quos vitæ, tuendi corporis, & cultus sui causa ducit *l. verbo victus 43. cum l. seq. h. tit. & h. l. nost.*

Ad L. CCIV.

Pueri *appellatio tres significationes habet:* unam *cum omnes servos pueros appellaremus:* alteram *cum puerum contrario nomine puellæ diceremus:* tertiam, *cum ætatem puerilem demonstraremus.*

PRima significatio refertur ad statum: quia pueri intelliguntur quicunq; servi sive mancipia, nullâ ætatis vel sexus habitâ ratione *l. servis 81. §. pueris de legat. 3.* Altera significatio ad sexum, ut quemvis puer ac puella discretis nominibus discerni soleant,

tamen

tamen pueri appellatione contineatur etiam puella *l. illa verba 163. §. pueri. sup. h. tit.* Tertia refertur ad ætatis discrimen, sive ad ætatem puerilem; quæ puerilis ætas est usq; ad annos pubertatis. Pubertas incipit in fœminis XII. in masculis XIV. anno *§. 1. Instit. Quib. mod tut. fin.*

AD L. CCV.

Qui fundum vendidit, pomum recepit. Nuces & ficos & uvas duntaxat duracinas & purpureas, & quæ ejus generis essent, quas non vini causa haberemus, quas Græci τρωξίμους appellarent, recepta videri.

CAsus talis hic proponitur: Qui fundum vendidit, pomum recepit; legem dixit venditioni, ne poma in fundo extantia venirent in venditionem, sed manerent emtoris. Recepit pomum, excepit aut sibi reservavit. Quæritur quid *pomi* appellatione contineatur? JCtus respondet, esse pomi appellationem generalem ad omnes arborum fructus, qui cute, non corio, ut castaneæ, non crustâ, ut glandes, clauduntur, & edendi causa comparati sunt, continentur *h. l. n.* Nuces igitur & ficus, uvas item duracinas, sive duriores & præcoquas, quæ ad esum servantur, ut & purpureas, quæ dum adhuc rubescunt ante suam perfectionem decerpi, & in olla condiri solent, quasq; Græci τρωξίμους, hoc est, commestibiles appellant, venditor excepisse censetur *Alciat. & Cujat. ad h. l.*

AD L. CCVI.

Vinaria vasa *propriè vasa torcularia esse placet; dolia autem & serias tamdiu in ea causa esse, quamdiu*

diu vinum haberent: cum sine vino esse desinerent, in eo numero non esse, quoniam in alium usum transferri possent: veluti si frumentum in his abdatur. Eandem causam amphorarum esse, ut cum vinum habeant, tum in vasis vinariis; cum inanes sint, tum extra numerum vinariorum sint: quia aliud in his abdi possit.

VAsa vinaria dici vult, non ex usu promiscuo, quòd vinum his infungi possit, alioqui omnia vasa fuerint & vinaria; Sed illa quoad usum peculiarem vini vult facere vasa vinaria, quæ vel vinum jam habent, vel ad nil aliud quàm vinum excipiendum sint utilia *arg. l. carbonum 167. h. tit.* Cujat. *ad h. l. & lib. 7. obs. 26.*

Ad L. CCVII.

Mercis *appellatione homines non contineri Mela ait: & ob eam rem mangones, non mercatores, sed venalitiarios appellari ait, & rectè.*

MAncipiorum venditores separatum habent nomen à mercatoribus. Igitur & subjectum aliud à mercatoribus habebunt. Distincta nomina distinctam rem denotant *l. si idem 7. C. de jure codicill.* Absurdum autem videtur hominem esse mercem, cum natura & ars merces hominum gratiâ comparet. Præterea sicut mercator merces pro lubitu vendit; ita & mango mancipia, in id, ut rursus vendat, comparata, ad exemplum mercatorum pro lubitu distrahit *b. l. n.*

Ad L. CCVIII.

Bonorum *appellatio, sicut* hereditatis, *universitatem quandam, ac jus successionis, non singulas res demonstrat.*

Idem

IDem traditur *in l. 1. de rer. divis. &* § 2. *Instit. de reb. corp. & incorp.* ubi traditur, hereditatem non res singulas, quæ eâ continentur, sed universum jus significare *l. nihil est aliud 24. l. bonorum 49. sup. h. t.*

AD L. CCIX.

Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat. Itaq; si furiosus aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo fecisse. Scire autem, non etiam velle is debet; nam & invito eo rectè fit, quod jussum est.

COram dicere sententiam, inquit JCtus, *in l. diem proferre* §. 5. *de recept.* est sapientibus dicere. Quo ipso significare vult vim particulæ *coram.* Nec enim coram aliquo, est præsente aliquo, sed est præsente & intelligente aliquo. Itaq; si furiosus aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo fecisse. Verba enim cum effectu accipiuntur. Igitur si alicujus interest, actum aliquem geri, necesse est, ut is rem cognoscat & intelligat *l. si quis 25. §. si coram 10. de acqu. hered. l. ult. de pact. l. 2. §. meritò 10. ff. Ne quid in loco public.*

AD L. CCX.

Is qui natus est ex mancipiis urbanis, & missus est in villam nutriendus, in urbanis servis constituetur.

RAtio est; quia non ut rusticæ familiæ adnumeraretur, sed ut educaretur à patrefamilias, in villam missus erat *l. urbana 166. l. urbana 198. sup. h. tit. Godd. ad h. l. n.*

AD L. CCXI.

Fundi *appellatione omne ædificium & omnis ager continetur: ſed in uſu, urbana ædificia, ædes; ruſtica, villæ dicuntur. Locus verò ſine ædificio, in urbe area, rure autem ager appellatur; idemq́ ager cum ædificio, fundus dicitur.*

QVid ager, quid villa, quid fundus, quid locus, quid ædes ſunt, traditum eſt *in l. ager 27. l. locus 60. l. quæſtio 115. l. urbana 166. l. urbana 198. ſup. h. tit.* Area verò nihil aliud eſt, quàm locus ſine ædificio, qui exaruit, ita ut ad generandum ſit inutilis *per hunc textum.*

AD L. CCXII.

Prævaricatores *eos appellamus, qui cauſam adverſarijs ſuis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt: à varicando enim prævaricatores dicti ſunt.*

PRævaricatorum definitionem nominis & rei Ulpianus hic ponit: Nominis illa eſt; Prævaricatores à varicando dictos eſſe, h. e. uti Labeo explicat, à vana certatione *l. 1. in pr. de prævaricat.* Varicari eſt in tranſverſum ire. Varices noxiæ venulæ ſunt in cruribus, quæ turgeſcunt, & impediunt, quo minus rectè incedere liceat *Alciat. h. num. 1.* Inde translatum ad ejuſmodi homines, qui varia certatione in tranſverſum eunt *d. l. 1. de prævaricat.* Rei definitio eſt iſta: Prævaricatores eſſe, qui cauſam adverſariis ſuis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt *h. l. n.* Hoc quomodo fiat, expoſuit Ulpianus *d. l. 1. de prævaricat.* Prævaricari eos, qui diverſam partem adjuvant, prodita cauſa ſua, quam

ipſi

ipſi tuentur. Et rurſus in *d. l. 1. §. prævaricatorem.* Prævaricatorem eum eſſe oſtendimus, qui colludit cum reo, & translatitiè munera accuſandi fungitur, eò quod probationes proprias diſſimularet, falſas verò rei accuſationes admitteret.

AD L. CCXIII.

Cedere diem, *ſignificat incipere deberi pecuniam*: Venire diem, *ſinificat, eum diem veniſſe, quo pecunia peti poſſit. Ubi purè quis ſtipulatus fuerit, & ceſſit & venit dies. Ubi in diem, ceſſit dies, ſed nondum venit. Ubi ſub conditione, neq; ceſſit neq; venit dies, pendente adhuc conditione.*

QVemadmodum in omnibus actionibus qualitas cauſæ quandoq; ſuſpendit effectum, quandoq; non: ita etiam in obligationibus homines quandoq; ſuſpendunt obligationis effectum, quandoq; non. Inde etiam vocabula excogitata ſunt, quæ differentiam ejuſmodi qualitatis denotant. ut ſunt *cedere diem, venire diem.* Et quidem in omni obligatione duo tempora conſideranda; prius quo conſtituatur: poſterius quo ſolvatur. Prior dies cedit, poſterior venit. Ideò cedit, quia ante obligationem contractam nondum eſt, quia nondum obligatio ipſa, non poteſt dies obligationis dici ejus, quæ ipſamet nondum adſit. Obligatione contracta jam ceſſit ejus dies, nec enim alius ad eam conſtituendam expedatur. At tamen obligatione conſtituta non ſtatim & venit dies ille, qui poſt obligationem venire ſeu exſpectari poteſt. Is autem non eſt alius, niſi dies ſolutionis. Igitur aliud eſt, diem ceſſiſſe, aliud diem veniſſe. Ceſſit dies cum obligatio nata eſt; ve-

nit dies cum actio nata est *Alciat. h.* In quibus autem obligationibus dies dicatur cessisse, aut venisse, vel nec cessisse, nec venisse, satis dilucidè ipse JCtus illustrat & explicat *h. l. nost.*

AD §. I.

Æs alienum est, *quod nos alijs debemus*: æs suum *est, quod alij nobis debent.*

TRaditur hic duorum vocum significatio: quæ nimirum inter alienum & suum differentia sit. Alienum est, quod non nostrum, sed alterius est. Id autem est quod alijs debemus, cum isti actionem habeant, consequentem & rem *l. 15. qui actionem de reg. jur.* Eadem ratione ècontra nostrum est, quod nobis debetur, cum hoc nomine ipsi actionem habeamus *l. meorum 91. h. tit.* Æs autem pro qualibet etiam aurea & argentea pecunia usitatè dicitur *l. etjam 159. h. tit.*

AD §. 2.

Lata culpa *est nimia negligentia, id est, non intelligere, quod omnes intelligunt.*

UT homines in administrandis aliorum negotijs alij alijs sunt diligentiores, ita etiam culparum, quæ diligentiæ vel negligentiæ opponuntur, gradus sunt, & alia culpa major, alia levior judicari solet. Dividitur autem culpa in latam, levem & levissimā *l. contractus de reg. jur.* Summus gradus est latæ culpæ, quæ hic à summo negligentiæ & imperitiæ gradu, collatione infimæ h. e. minimæ diligentiæ describitur. *Lata*, inquit, *culpa est nimia* (id est summi gradus) *negligentia, quæ est, non intelligere, quod omnes*

(sani

(ſani ſc. judicij homines) *intelligunt.* Hæc cum tam craſſa, tam deſidioſa negligentia parùm à fraude abſit, imò fraus ſæpè appelletur *l. quod Nerva ff. depoſ.* ſit, ut dolo æquiparetur, & in contractibus doli appellatione prohibeatur, doluſq; præſumtus dicatur *d. l. quod Nerva ubi Dd.* de qua re *in l. contractus ff. de reg. jur.* latius dictum eſt.

AD L. CCXIV.

Munus *propriè eſt, quod neceſſariò obimus, lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet poteſtatem.* Dona *autem propria ſunt, quæ nulla neceſſitate juris, officij, ſed ſponte præſtantur: quæ ſi non præſtentur, nulla reprehenſio eſt; & ſi præſtentur, plerumq; laus ineſt. Sed in ſumma in hoc venitur eſt, ut non quodcunq; munus, id & donum accipiatur; at quod donum fuerit, id munus rectè dicatur.*

DOnum genus eſſe, munus ſpeciem; munerisque ſignificationem triplicem eſſe, reſponſum eſt *in l. munus 18. h. tit. l. inter donum 194. eod.*

AD L. CCXV.

Poteſtatis *verbo plura ſignificantur: in perſona* magiſtratuum, *imperium; in perſona* liberorum, *patria poteſtas; in perſona* ſervi, *dominium. At cum agimus de noxæ deditione, cum eo, qui ſervum non defendit, præſentis corporis copiam facultatemq; ſignificamus. In lege Attinia, in poteſtatem domini rem furtivam veniſſe videri, etſi ejus vindicandæ poteſtatem habuerit, Sabinus & Caſſius ajunt.*

QVinq; ſignificationes vocabuli *poteſtatis* hoc in loco recenſet Paulus JCtus: *Primò* ſi de magiſtratu profertur, ſumitur pro imperio, quod duplex eſt, merum & mixtum *l. 3. de jurisdict.* *Secundò* ſi ad libe-

ad liberos transfertur, quasi illi sint in potestate, designatur imperium patruum, quod pater ex beneficio juris civilis in filiosfamilias habet, *de quo in tit. C. & Instit. de patria potestate.* Tertiò, si ad servos refertur, designat dominij jus & potestatem, quam dominus in servos suos jure dominij habet, *de qua tit. Instit. de his qui sui vel al. jur.* *Quartò*, significat alicujus rei facultatem, & copiam inspiciendi tangendiq; facere, idq; exemplo actionis noxalis demonstrat Ulpianus *h. l. n.* *Quintò* potestas sumitur pro facultate recuperandæ possessionis omissa & condonata *Godd. h. l. nost.*

AD L. CCXVI.

Verum est, eum qui in carcere clusus est, non videri neq; vinctum, neq; in vinculis esse; nisi corpori ejus vincula sint adhibita.

VLpianus *in hac lege* differentiam custodiæ & vinculorum declarat; nempe quod vinctorum nomine illi habeantur, quorum corpora vinculis sunt inclusa & colligata: qui verò carceri tantùm inclusi, non etiam vincti compedibus & alijs vinculis, hos in custodiam tantùm conjectos videri, non etiam vinculis inclusos. Nam carcer, nisi publicus, dedititium non faciebat: vincula autem privata faciebant *l. solutum 48. sup. h. tit.*

AD L. CCXVII.

Inter illam conditionem, cum fari potuerit, *&*, postquam fari potuerit, *multum interest. Nam posteriorem scripturam uberiorem esse constat; at* cum fari potuerit, *arctiorem, & id tantummodò tempus significari, quo primùm fari possit.*

Ex hoc

Ex hoc textu patet, quam diligentissimè JCti veteres fuerint in explicanda conditionum materia: distinctè enim hic explicatur, inter conditionem si scriptum sit, *cum fari potuerit*, & *postquam fari potuerit*. Nam posteriorem scripturam, inquit Javolenus, uberiorem esse constat: at cum fari potuerit, arctiorem: & id tantummodò tempus spectari, quo primum fieri possit *h. l. n.*

Ad §. I.

Idem ita data conditione, illud facito in diebus, *si nihil præterea fuisset adjectum, in biduo conditionem impleri oportet.*

Mentio temporis pluraliter & indefinitè prolati, quandoq; vitiat actum, si oportebat tempus definitè exprimi, *ut in l. ita stipulatus 115. in pr. de verb. obligat.* Quandoq; ex natura negotij recipit determinationem *l. 21. §. 1. de constit. pec. §. loca 5. Instit. de verb. oblig.* Quod si à re nulla mora sit, pluralis elocutio duorum numero contenta est *h. l. nost. l. ubi numerus 12. de testib.*

Ad L. CCXVIII.

Verbum facere *omnem omninò faciendi causam complectitur; dandi, solvendi, numerandi, judicandi, ambulandi.*

Verbum *facere* absolutè positum, ut fit *in l. 2. de verb. oblig. & passim* omne omninò factum continet *h. l. n.* Differt à verbo *dare*, ut genus & species. Omni dationi inest factum; sed non omni facto inest datio, sive dominij translatio.

Ad L. CCXIX.

In con-

In conventionibus contrahentium voluntatem potius quàm verba spectari placuit. Cum igitur ea lege fundum vectigalem municipes locaverint, ut ad heredem ejus, qui suscepit, pertineret; jus heredum ad legatarium quoque transferri potuit.

PRoponitur hic regula talis: *In conventionibus contrahentium, voluntatem potius quàm verba spectanda l. semper 34. de reg. jur.* Subjicitur ejus regulæ exemplum de herede; quod id nominis ex voluntate contrahentium porrigatur ad legatarium. Heres successor est universalis, successor juris: legatarius est successor singularis, successor rei. Sed in casu proposito nulla diversitatis ratio est. Fundus vectigalis potest ex conventione transire ad heredem & extraneum, cur non etiam ad legatarium? Quid interest, an institutionis, an legati titulo fundus vectigalis ad alium transeat, cum idem fundus sit, qui ad eundem, seu institutionis, seu legati titulo perveniat? Imò legata legatarius accipit ab herede: Et sic prius in heredem, quàm legatorum transit. *§.1. Inst. de legat.*

Ad L. CCXX.

Liberorum *appellatione nepotes & pronepotes, cæterique qui ex his descendunt, continentur. Hos enim omnes suorum appellatione lex duodecim tabb. comprehendit. Totiens enim leges necessarium ducunt, cognationem singulorum nominibus uti; veluti,* filii, nepotes, pronepotes, *cæterorumque qui ex his descendunt, quoties non omnibus, qui post eos sunt, præstitum voluerint; sed solis his succurrent, quos nominatim enumerent. At ubi non personis certis, non quibusdam gradibus præstatur, sed omnibus qui ex eodem genere orti sunt, liberorum appellatione comprehenduntur.*

SCto cautum erat, ne tutor pupillam suam duceret, vel fi-

vel filio suo in matrimonium collocaret. Tutor autem pupilli non prohibetur filiam suam collocare pupillo suo in matrimonium *l. libertum 64. de ritu nupt.* Idem jus esse circa tutoris ac curatoris nepotes neptesq; & deinceps reliquos omnes descendentes, affirmavit Callistratus *h. l. n.* cui subscribit Tryphoninus in *l. non solum 67. de rit. nupt.* Et quod ad omnes tutoris & curatoris descendentes SCtum extendi debeat, quadruplici argumento probat *h. l. n.* Primum proponit his verbis, *liberorũ appellatione, &c.*

AD §. I.

Sed & Papirius Fronto libro tertio responsorum ait, prædio cum villico & contubernali ejus, & filijs legato, *nepotes quoq; ex filiis contineri, nisi voluntas testatoris aliter habeat. Filii enim appellatione sæpè & nepotes accipi, multifariam placere.*

ALterum argumentum est: quod etsi Senatus saltem filiorum meminisset, adhuc tamen SCtum ad nepotes cæterosq; descendentes tutoris ac curatoris per interpretationem extensivam pertinere. *Nam si quis leget villicum, ejusq; contubernalem*, h. e. ancillam conjugem *l. pen. C. comm. utriusq; judic.* cum *filijs* is intelligitur non solùm filium filiamque, sed & nepotes neptesve, & reliquos deinceps, qui ex villico illico ejusq; contubernali descendunt, unà cum parentibus legasse. *Godd. h. l. n.*

AD §. 2I

Divus quoq; Marcus rescripsit, non videri sine liberis defunctum, qui nepotem suum heredem reliquit.

TErtium argumentum assumit à Constitutione D. Marci,

Marci, qui asserebat, cum non sine liberis defunctũ, qui nepotem reliquit heredem : nam quem sine liberis dicere non possumus, hunc necesse est dicamus liberos habere *l. nam quem 149. sup. h. tit.*

AD §. 3.

Præter hæc omnia natura nos quoq; docet parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt; filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt, contineri. Nec enim dulciore nomine possumus nepotes nostros, quàm filij, appellare. Etenim idcirco filios filiasq; concepimus, atq; edimus, ut ex prole earum diuturnitatis memoriam in ævum relinquamus.

QVartum argumentum à naturali fine matrimonij & procreationis educationisq; sumit. Qui finis spectatur tam in nepotibus & pronepotibus, quàm in filijs nostris. Meritò ergò hos etiam liberos filiorum nomine dignemur, idq; per amplificationem, *in vers. nec etiam dulciore*, subjicit hic Callistratus.

Ad L. CCXXI.

Paulus respondit, falsum tutorem eum verè dici, qui tutor non est, sive habenti tutor datus est, sive non; sicut falsum testamentum, quod testamentum non est; & modius iniquus, qui modius non est.

RAtio responsi est: quod paria sint, aliquid non fieri, & non legitimè fieri *l. quotiens ff. Qui satisd. cog.* Actus igitur nulliter gestus, nullum parit effectum *l. non dubium C. de legib.* Appellatur quidem falsus tutor, quasi tutor sit, sed is tamen verus non, sed falsus, adeoq; in effectu nullus est tutor, quia nõ ab his quibus dandi jus, sive non ei, cui dari potest, sive

ſive aliter, non legitimè conſtitutus ſit *tot. tit. Quod falſo tut.* Sic & teſtamentum dicitur nullum, quod in ſpeciem teſtamentum videtur, ſed propter defectum ſubſtantialem in effectu eſt, ac ſi non eſſet *tot. tit. de injuſt. rupt. irrit. teſtam.* Ita & modius iniquus reverâ non eſt modius. Eſt enim de ſubſtantia modij, æquitas ſeu æqualitas.

AD L. CCXXII.

Pecuniæ *nomine non ſolum numerata pecunia, ſed omnes res tam ſoli quàm mobiles, & tam corpora, quàm jura continentur.*

HOc reſponſo docet Hermogenianus, *pecuniæ* ſignificationem non ſolùm eſſe numeratam pecuniam, ſed omnes res, quæ in dominio ac patrimonij computatione ſunt, vel eſſe poſſunt, tam ſoli quàm mobiles, tam corporales quàm incorporales: unde etiam actiones & obligationes, nomina, ſervitutes, pignora, & reliqua omnia pecuniæ appellatione comprehendi poſſunt *l. 4. l. 5. l. 6. ſup. h. tit.*

AD L. CCXXIII.

Latæ culpæ finis eſt, non intelligere id, quod omnes intelligunt.

LAtæ culpæ finis eſt, h. e. latæ culpæ definitio eſt, à fine aſſumta: de qua definitione dictum eſt *ad l. cedere diem 213. §. 2.*

AD §. I.

Amicos *appellare debemus, non levi noticia conjunctos, ſed quibus fuerint jura cum patrefamilias, honeſtis familiaritatis quæſita rationibus.*

N In hoc

IN hoc textu traduntur requisita veri amici. Debet esse notus, & quidem non leviter, sed per longum tempus à puero, ab adolescentia; tum jura familiaritatis cum eo esse debent, id est, diuturna consuetudine obstrictum eum nobis esse convenit, post ut cum eo, ut patrefamilias (sive sit actu sive potentia talis) conversatio intercedat. Postremò jura illa debent esse quæsita honestis rationibus, id est, virtute constare: sine virtute enim amicitia consistere non potest *Cic. in Læleo*.

Ad L. CCXXIV.

Vinculorum *appellatione vel privata, vel publica vincula significant:* custodiæ *verò tantùm publicam custodiam.*

VInculorum appellatio generalior est. Qui est in vinculis publicis, in custodia sive carcere quoque est; sed non omnis qui in custodia est, etiam in vinculis est *Cujat. ad h. l.* Vincula ergò & custodia, tanquam genus & species differunt *h. l. n.*

Ad L. CCXXV.

Fugitivus *est non is, qui solum consilium fugiendi à domino suscepit, licet id se facturum jactaverit:* *sed qui ipso facto fugæ initium mente deduxerit. Nam & furem, adulterum, aleatorem, quanquam aliqua significatione ex animi propositione cujusq; sola quis dicere posset: ut etiam is, qui nunquam alienam rem invito domino subtraxerit, nunquam alienam matremfamilias corruperit, si modò ejus mentis sit, ut occasione data id commissurus sit: tamen oportere eadem hæc crimina adsumto actu intelligi: & ideo fugitivum quoq;, & erronem, non secundum propositionem solam, sed cum aliquo actu intelligi constat.*

Leges

LEges in facta tantùm constituuntur, & ex ijs jus oritur *l. si ex plagis 52. §. in clivo ff. ad L. Aquil.* atq; utrumq; concurrat necesse est, ut aliquis teneatur, & animus & factum. Requiritur, ut quis & consilium faciendi habuerit, & ad actum aliquem perficiendæ rei pervenerit *l. quid sit 17. l. bovem 43. §. 3. de ædilit. edict.* Unde JCtus hic infert; *fugitivum* non à consilio fugiendi & cogitatione, non à potentia, vel quod in futurum fugere possit, denominari, sed referri ad factum & conatum, licet iste exitium non sit consecutus *d. l. quid sit fugitivus 17. §. 1.* Hæc Triphoninus exemplis declarat: Dicit enim: *eum qui neq; alienam uxorem unquam violavit, neq; rem alienam unquam invito domino subtraxit, neq; aleâ unquam lusit,* posse quidem aliqua significatione, *ex animi propositione cujusq; sola,* hoc est, à potentia & nuda cogitatione privato arbitrio *καταχρηστικῶς adulterum, furem, aleatorem dici; Si tamen hoc consilium ejus sine omni conatu fuerit, neq; adulterum, neq; aleatorem revera ac propriè jurive authoritate videri.*

AD L. CCXXVI.

Magna negligentia culpa est: magna culpa dolus est.

CUlparum, quæ diligentiæ vel negligentiæ opponuntur, gradus esse, & culpam aliam majorem, aliam leviorem judicari solere; Item aliam culpam dici latam, aliam levem, aliam levissimam; alium esse dolum. *dictum est ad l. cedere diem 213. §. 3. sup. h. t.*

AD L. CCXXVII.

Ex illa parte edicti, tum quem ei heredem es-

se oportet, *heredis heredibus bonorum possessio non defertur. Item in substitutione his verbis:* Quisquis mihi heres erit, *proximus heres tantùm significatur. Imò non tantùm proximus heres, sed etiam scriptus.*

HOc in loco verbum heredis ad certam materiam restringitur, nempe ad edictum prætoris, *Unde legittimi l. 1. unde legitt.* Huic adnexa erat clausula, *tum quem ei heredem esse oportet, si intestatus mortuus esset.* Quibus verbis duo designari Paulus respondet: Primò, *ut si neq; suus, neq; descendens aliquis supersit, vocetur proximus agnatus,* qui tempore mortis succedere ab intestato potuisset *l. proximus 93. h. tit.* Deinde, *ut ille solus, non etiam heres ejus vocetur h. l. n.* Quod autem hic *in vers. imò non tantùm &c.* sequitur, hunc sensum habet: ut is heres & proximus sit, & in eodem testamento heres scriptus, etiamsi ex secundo tertiove gradu adijsset *Godd. ad h. l.*

AD L. CCXXVIII.

Municipes *intelligendi sunt, & qui in eodem municipio nati sunt.*

MUnicipes dicuntur ex eo, quòd ejusdem muneris sint participes *l. 1. §. 1. ad municipal.* Quæ ratio, cum non solum in receptis in civitatem, verùm etiam in natis in eâ suo modo obtineat, utique & nati rectè municipes dicentur *h. l. n.*

AD L. CCXXIX.

Transacta finitave *intelligere debemus, non solùm quibus controversia fuit, sed etiam quæ sine controversia sint possessa.*

TRansactio est de lite. Intellige litem, sive quæ jam sit, sive quam veremur *l. 1. de transact. l. 2. C. eod.*

eod. Inde *transacta* hîc vocat, etiam illa, quæ sine controversia sunt possessa; quia scilicet controversia potuit moveri. Similiter vult intelligi *finita*, nempe quocunq; alio modo præter transactionem.

Ad L. CCXXX.

Ut sunt judicio terminata, transactione composita, longioris temporis silentio finita.

LIs quidem finitur transactione, sed non solâ: Finitur & jurejurando, & re judicata, & præscriptione *h. l. n.* Unde etiam dicuntur exceptiones litis finitæ *Sichard. ad l. 19. C. de probat.*

Ad L. CCXXXI.

Quod dicimus, eum, qui nasci separatur, pro superstite esse, tunc verum est, cum de ipsius jure quæritur: alijs autem non prodest, nisi natus.

QUia quod pendet non est pro eo quasi sit *l. is damnum 69. §. 1. de reg. jur.* Si tale est, & ita pendet, ut possit non evenire *l. quod sub ea conditione 18. de condict. indeb.* maximè cum hoc singulare sit privilegium, quod libertatis favor extorsit; unde ad alios non est extendendum *l. ult. C. de his qui numero liber.* Non itaq; obtinet hic; cum quis est in potentia propinqua actui, hoc alijs prodesse vel nocere *l. qui pœnæ 8. §. Divus 2. de manumiss.* ut exinde quis inferat, eum qui in utero est; quia certò speratur nasci, alijs prodesse vel nocere debere, non aliter atq; si natus esset. *Godd. h. l.*

Ad L. CCXXXII.

Hæc enunciatio, Quæ sunt pluris aureorum

triginta; *simul & quantitatis & æstimationis significativa est.*

PRomisisti fundum pluris aureorum triginta, quæritur quid debeas? JCtus ait, *& quantitatem seu summam promissam, & simul æstimationem rei exprimi.* Quantitas in hac promissione est xxx. aureorum, æstimatio fundi in verbo *pluris* exprimitur, nempe quod eorum æstimatio major esse debet, quàm 30. aureorum. Nisi igitur hoc casu fundum summam 30. aureorum excedentem dederit, ab eo, cui promisit, liberatus non erit. *Godd. ad h. l.*

AD L. CCXXXIII.

Si calvitur, & moretur, & frustretur; *inde calumniatores appellati sunt; quia per fraudem & frustrationem alios vexarent litibus: inde & cavillatio dicta est.*

ILla verba *si calvitur*, legis sunt, quæ sequuntur, expositionis. Sic itaq; JCtus inquit: *Si calvitur, & moretur, & frustretur* (subaudi) *significat.* Nam qui *calvitur*, moram injicit, & adversarium frustratur: & qui moratur, non solum frustratur, sed etiam calvitur: at qui frustratur, & calvitur & moratur. Quod autem *calvitur* idem significat, *quod moratur & frustratur*, probat Paulus hic argumento conjugatorũ: inde (à calvitur scilicet) calumniatores appellati sunt, qui per fraudem & frustrationem alios vexant litibus: inde & cavillatio dicta, hoc est, frustratio, deceptio & calvitas *l. si fidejussor 28. §. in omnibus ff. Mand.* hoc est, calliditas, deceptio, fraus. *Godd. ad h. l. nost.*

AD §. I.

Post

Post Calendas Januarias die tertio pro salute principis vota subjiciuntur.

IDdeo ineunte anno vota publicè fiebant, ut totius futuri anni successus efficerentur secundi, & mala impendentia, Saturno patre Deorum placato averterentur. Dicitur quidem *in l. unic. C. de oblat. votor.* vota principibus debere fieri, quando felix annus aperitur, sed non dicitur, quo die; Kalendis Januarijs ipsi Principes cum populo votum imperij & ipsius populi gratia faciebant *Tacit. 4. annal.* tertio die, qui sequebatur, populus pro principe vota suscipiebat.

AD §. 2.

Telum *vulgò quidem id appellatur, quod arcu mittitur; sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Ita sequitur, ut & lapis, & lignum, & ferrum hoc nomine contineatur: dictumq; ab eo,* quod in longinquum mittitur. *Græco voce figuratum* ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. *Et hanc significationem invenire possumus & in græco nominè: nam quod nos telum appellamus, illi* βέλος *appellant: eoq; nomine vulgò quidem significatur, quod ab arcu mittitur: sed non minus omne significatur, quod cum mittitur manu,* ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι, *admonet nos Xenophon: nam ita scribit:* καὶ βέλη ὅμοσε ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα σφενδόναι: πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. *Et id quod ab arcu mittitur, apud græcos quidem proprio nomine* τόξευμα *vocatur, apud nos autem communi nomine telum appellatur.*

TElum quidem vulgò id appellatur, quod ab arcu mittitur. At hoc loco mens legislatoris fuit, omne id, per quod vitæ hominis nocere potest, indicare. Igitur generaliter omne genus armorum *teli* appel-

appellatione continetur, sive id ferrum sit, sive lapis, sive lignum, &c. Idq; probat authoritate Xenophontis.

AD L. CCXXXIV.

Quos nos hostes, *eos veteres* perduelliones *appellabant, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum esset.*

CAjus hoc loco scribit, quos veteres perduelliones ac perduelles appellarunt, hos nunc appellari hostes *l. hostes 118. sup. h. tit.*

AD §. I.

Locuples *est, qui satis idoneè habet, pro magnitudine rei quam actor restituendam petit.*

IN hoc *§. nost.* determinatur, *quis sit locuples,* ex materia subjecta sumendum esse: ut si reus jubeatur locupletem fidejussorem dare *l. 2. ff. Qui satisd. cog.* id una & generali & certa definitione explicari nequit, sed consideranda magnitudo rei, quam actor petit, & videndum, an fidejussor tantundem in bonis habeat.

AD §. 2.

Verbum vivere *quidem putant ad cibum pertinere. Sed Ofilius ad Atticum ait, his verbis & vestimenta & stramenta contineri. Sine his enim vivere neminem posse.*

VIctus à vivendo descendit, & multò plura quàm quæ ad solum corporis nutrimentum spectant, homini ad vivendum necessaria sunt: Ideò verbo *victus* & *vivere* non solùm cibaria, verùm etiam vestimenta

menta & ſtramenta, h. e. inſtrata, cujuſmodi ſunt ſtoreæ, lecti, martæ, pulvinaria, &c. continebuntur. *l. victus 43. & l. seq. l. inſtratum 45. ſup. h. tit.* Nemo enim ſine his commodè & humana ratione vivit, *d. l. victus.*

AD L. CCXXXV.

Ferri *propriè dicimus, quæ quis ſuo corpore bajulat;* portari *ea, quæ quis jumento ſecum ducit:* Agi *ea quæ animalia ſunt.*

PRoponitur hæc differentia inter *ferri, portari & agi:* quæ quidem eſt ex verborum proprietate, quæ tamen non apud alios tantùm autores, ſed etiam in uſu juris toties confunditur, quoties omnium eſt ratio eadem *Godd. ad h. l. noſt.* vel ſi præſertim in fine conveniant; ut prohibitus *portare* arma ad hoſtes, prohibitus etiam cenſetur ferre; quia eadem eſt ratio in utroq;, ne hoſtis contra patriam armetur. *Forner. & Alciat. h.* Interim tamen vera & ſubtilis eorum differentia ignoranda non, ſed potius obſervanda eſt *l. Labeo 19. l. ſeq. l. licet ſup. h. tit.*

AD §. I.

Fabros tignarios *dicimus non eos duntaxat, qui tigna dolarent; ſed omnes qui ædificarent.*

QVoniam tigni nomine omnem ad ædificandum materiam in l. XII. tabb. accipimus *l. tigni 7. ad exhib.* utiq; *fabros tignarios*, ſi & pretij quantitas accedat, non eos duntaxat, qui tigna dolant, ſed omnes accipiemus qui ædificant, cujuſmodi ſunt tectores, materiarij, parietarij, cæmentarij & reliqui, *de quibus conſulendus Vitruvius.*

AD L. CCXXXVI.

Qui venenum *dicit, adjicere debet, utrum malum, an bonum. Nam & medicamenta venena sunt: quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum esset, mutat: cum id quod nos venenum appellamus, Græci* φάρμακον *dicunt. Apud illos quoq; tam medicamenta, quàm quæ nocent, hoc nomine continentur; unde adjectione alterius, nomine distinctio fit. Admonet nos summus apud eos Poetarum: nam sic ait:* φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά, *Venena multa quidem bona mixta, multa autem noxia.*

VEnenum ait esse verbum commune, in bonam & malam partem; proinde alterius adjectione distinguendum. Rationem Cajus ipse adducit, quia inquit, eo nomine continetur, quod adhibitum naturam ejus, cui adhibitum esset, mutat. Dictum ab eo, quod citò per venas eat. Transiens enim venas habitu & efficacia (non corpore & substantia sua) naturam mutat, h. e. educit ex omnibus & singulis venis humores malos, si salubre est medicamentum: sin verò noxium, educit bonos ac salubres humores, reliquos verò inflammat, venas disrumpit, vel obstruit, ulcerat, erodit *Godd. ad h. l. n.* Hodiè venenum vulgari consuetudine de malo intelligi, notat Alciatus *hic n. 6.*

AD §. I.

Glandis *appellatione omnis fructus continetur, ut Javolenus ait, exemplo græci sermonis, apud quos omnes arborum species* ἀκρόδρυα *appellantur.*

LEx XII. tabb. & post eam Prætor *in l. unic. de glande legenda* originis rationem habuerunt. Primitus

mitus enim antequam fruges inventæ fuerunt, homines glande vescebantur. Inde Romani in signum victus antiquissimi, vel hordeum, eo quod primum eo alimento homines relictis glandibus uti ceperint, vel eo deficiente, quercus folia in hostiam imponebant *Sylvius ad leges 12. tabb.* Glandis igitur appellatione omnes fructus continentur *d. l. unic. de glande leg.* etiam agrorum *l. fin. C. de lege Aquil.* quia una eademq; ratio in pastu, quoad alios fructus obtinet *d. l. un. l. 9. ad exhib.*

AD L. CCXXXVII.

Duobus negativis verbis quasi permittit lex magis, quàm prohibuit: idq; etiam Servius animadvertit.

NAtura siquidem negationis est, ut id quod invenit positum destruat. Cum igitur secunda negatio priorem inveniat, positam eam destruit, & ejus oppositum ponit: si modò ad idem utræq; negationes tendant, nec diversa respiciant, tunc enim negant. *Exemplum est in l. 2. de in jus vocando.*

AD L. CCXXXVIII.

Plebs *est cæteri cives sine Senatoribus.*

SEnatores & plebei, hi duo erant summi ordines in urbe Roma. *Cujat. hic.* Ita hic plebem esse ait, cæteros cives, sine senatoribus. Senatores hic latius exaudi, ut contineantur omnes, patricij & senatores in specie sic dicti *§. lex Instit. de jure natur. gent. & civil.*

Ad §. I.

Detestatum *est testatione denunciatum.*

Spec-

SPEcies in toto jure nostro derogat generi *l. in toto 80. de reg. jur.* quoniam ergò Ulpianus absentibus ait detestationem fieri, meritò alios JCtos ex illo interpretamur. Differt autem denunciatio ab antestatione *l. subsignatum 39. §. detestari sup. h. tit.*

Ad §. 2.

Pignus *appellatum est à pugno: quia res quæ pignori dantur, manu traduntur. Unde etiam videri potest, verum esse, quod quidam putant, pignus rei mobilis constitui.*

PIgnus dicitur à pugno, eò quod pignus manu creditori tradatur *h. §. nost.* Res autem mobilis duntaxat manu tradi potest: Igitur rei mobilis pignus propriè, sive primaria sua significatione, quam habet, vi denominationis constituitur *h. §. n.*

Ad §. 3.

Noxiæ *appellatione omne delictum continetur.*

NOxa & *noxia* differunt, sicuti causa & effectus. Noxia enim causam obligationis sive delictum, intellige privatum, ùt est furtum, rapina, damnum injuriæ, denotat *h. §. n. l. 1. pr. si quadrup. paup. fec. dic.* Noxa delicti pœna est *l. stipulatio 200. sup. h. tit.*

Ad L. CCXXIX.

Pupillus *est, qui cum impubes est, desijt in patris potestate esse, aut morte, aut emancipatione.*

HOc in loco JCtus declarat requisita, ut quis verè pupillus sit. I. ut sit impubes. II. ut sit à patria potestate liberatus, & quidem per mortem patris, vel per emancipationem: reliqui modi ad eum

non

non pertinent, qui traduntur *tit. Instit. Quib. mod. jus pat potest. solv.*

Ad §. 1.

Servorum appellatio ex eo fluxit, quod Imperatores nostri captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent.

NOtatio servorum satis nota etiam ex *§. Servi autem Inst. de jure pers. item ex l. 4. §. 1. de stat. homin.* ut ulterum explicatione hic opus non videatur.

Ad §. 2.

Incola *est, qui aliqua regione domicilium suum contulit, quem Græci πάροικον appellant: nec tantùm hi qui in oppido morantur, incolæ sunt; sed etiam qui alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se quasi in aliquam sedem recipiant.*

INcolam JCtus definit non ab habitatione sola, sed à domicilio, sive in oppido hoc fine moretur, sive intra fines oppidi agrum habeat, in quem se quasi in aliquam sedem recipiat *h. § n.* Eodem modo quo & provinciales antea definiti *l. provinciales 190. sup. h. tit.* & domus sive domicilium *in l. 203. h. tit.* Qui verò sine domicilij constitutione alicubi ad tempus moratur, ob id solùm non est incola *Cujat. h.* sed est advena, quasi aliunde adveniens *§. 4. h. l. n.*

Ad §. 3.

Munus publicum *est officium privati hominis, ex quo commodum ad singulos universosq́; cives, remq́; eorum imperio magistratus extraordinarium pervenit.*

DEscribitur hoc in loco munus publicum extraordinarium, munus enim aliud est ordinarium, quod

quod lege, SCto, Constitutionibus Principum inducitur *l. un. C. de vacat. publ. mun.* aliud extraordinarium, quod temporis alicujus, loci, vel personæ ratione arbitrio judicis injungitur *l. in honoribus 8. §. 2. de muner. & hon.*

Ad §. 4.

Advena *est, quem Græci ἄποικον appellant.*

ADvena est colonus vel inquilinus oppidi vel agri adventitius, qui domicilium sedemq; sibi nō constituit, quasi domo profugus, & qui sine lare domicilioq; in illo loco sit. Nam ἄποικος significat eū, qui sine domo est. *sup. §. 3. ead. l. ge.*

Ad §. 5.

Decuriones *quidam dictos ajunt ex eo, quod initio cum coloniæ deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, consilij publici gratia conscribi solita.*

DEcuriones sunt consiliarij municipales, Coloniarum senatores, à numero sic dicti, ex quibus eligebantur municipales magistratus *Alciat. ad h. l. n. 27.* Dicuntur itaq; Decuriones, quod decimus quisq; ex ijs, qui deducebantur, eligeretur publici consilij causa *tot. tit. C. de decurion. lib. 10.*

Ad §. 6.

Urbs *ab urbo appellata est; urbare est aratro definire. Et Varus ait: urbum appellari curvaturam aratri; quod in urbe condenda adhiberi solet.*

A Potiori fit denominatio: Igitur qui religionis causa die auspicato circulum sulco faciebant, ut Pena-

Penates & Genios magis propitios haberent Romani, ab illo urbo, per quod circulus ille religiosus factus est, urbem nominarunt. *l. 2. sup. h. tit.*

Ad §. 7.

Oppidum *ab ope dicitur, quod ejus rei causa mœnia sint constituta.*

A Fine fit denominatio. Quoniam ergò opis causa oppida muniuntur, ut opponantur hostibus, non ineleganter ab ope oppida hic JCtus tradit *h. §. n.* Cujatius *h. l.* ait, in jure urbem appellari metropolim, *ut in l. 4. §. pen. ff. de damno infect.* sub qua sint oppida.

Ad §. 8.

Territorium *est universitas agrorum intra fines cujusq; civitatis; quod ab eo dictum quidam ajunt, quod magistratus ejus loci, intra eos fines terrendi, id est, submovendi, jus habet.*

TErritorium dicit JCtus esse universitatem agrorum. Agri hic accipiuntur latè pro fundis quibuslibet *l. ager 27. h. tit.* Dicitur à terrendo; eò quod magistratus ejus universitatis habet jus terrendi, id est, submovendi & castigandi per lictores. *Cujatius ad §. h. nost.*

Ad §. 9.

Verbum suum *ambiguum est, utrum de toto, an de parte significet: & ideo qui jurat suum non esse, adjicere debet, neq; sibi communem esse.*

HOc loco traditur: meum, tuum, suum, dici etiam, rem, cum alijs communem. Meum est & id, quod pro parte tantùm meum est. Igitur ex ejusmodi

modi verbis solis constare nequit; qualiter, an in totum, an pro parte sit meum. Ergò adjiciendum est hoc ipsum. *Alciat. & Godd. ad h. §.*

Ad L. CCXL.

Cum quærebatur, an verbum soluto matrimonio dotem reddi, *non tantùm divortium, sed & mortem contineret, hoc est, an de hoc quoq; casu contrahentes sentiant: & multi putabant hoc sensisse, & quibusdam alijs contra videbatur: secundum hoc motus Imperator pronunciavit, id actum eo pacto, ut nullo casu remaneret dos apud maritum.*

DOtem dantes solent pacisci de eadem reddenda, vel in casum utrumq;, vel in alterum, mortis, aut divortij. Ubi in eum casum, in quem non pepugerunt, est mulieris actio *l. 22. ff. solut. matrim.* sin pactum fuisset simpliciter, de dote soluto matrimonio reddenda, refert JCtus controversiam fuisse, an in divortij casum solum, an in utrumq; pactum interpositum debeat censeri? Sed refert placuisse Imp. Antonino, omnem casum comprehendi; quia scilicet hic nihil refert, nec adjectum est quicquam de modo solutionis. Ergò qualitercunq; matrimonio soluto, locus est repetitioni *Nov. 22. cap. deinceps 20. §. 1. l. si cum dotem 22. pr. & tot. tit. soluto matrim.*

Ad L. CCXLI.

In rutis cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur, quæq; opere structili, tectoriive continentur.

IN venditionibus solebant excipi à venditore *ruta* sive eruta, quæcunq; terrâ eruta sunt, ut sunt arenæ, lapides, creta *l. fundi 17. §. si ruta & cæsa. de act. emti* & ca-

& *cæsa*, quæ à terrâ ſciſſa ſunt. & ſeparata, ut ſunt arbores, arundines, carbones, titiones &c. *d. l. fundi §. ſi ruta.* Quærebatur quænam in rutis cæſis haberi debeant? Et ſiquidem verborum proprietatem conſideramus, videbantur ea tantùm hac clauſula contineri, quæ terrâ ſunt eruta & cæſa. JCtus tamen Scævola definivit, plura contineri hac dictione, ea nempe omnia in rutis cæſis eſſe, quæ terrâ non tenentur *h. l. n.* in cujus ſententiam itum eſt *l. granaria 18. §. ult. de act. emti.* Quæcunq; igitur terrâ non tenentur, aut opere ſtructili, aut tectorio parietibus affixa non ſunt, in rutis cæſis habentur, & in lege emtionis neceſſum non eſt excipi, cum emtorem non ſequantur *l. Celſus 5. §. idem Julianus 2. ff. ad exhib. l. in vendendo 66. in fin. de contrah. emt.* Ruta itaque cæſa, fundo vendito, non pertinent ad emtorem; etſi non excipiantur expreſsè: juncta & fixa (quæ rutis cæſis opponuntur) pertinent *d. l. Celſus §. ſi ruta cæſa 6.* cui conſentit, quod noſtri dicunt, ædibus venditis cedere alles was erd- vnnd nagelfeſt iſt: niſi nominatim quid ejus excipiatur. Cæterùm opus ſtructile eſt, quod fit ex calce & cæmentis *Cujat. h.* quod ex lapide quadrato, aut laterculis, calceq; conſtructum *Alciat. h. n. 5.* Tectorium à tegendo, eſt incruſtatio ſeu expolitio parietum *Alciat. d. loc.*

Ad L. CCXLII.

Malum *navis eſſe partem*, artemonem *autem non eſſe, Labeo ait: quia pleræq; naves ſine malo inutiles eſſent: ideoq; pars navis habetur: artemon autem magis adjectamento, quàm pars navis eſt.*

NAve venditâ, aut legatâ, refert ſcire, quæ ſint partes vel membra navis, quæ non: Nam cùm totum ex partibus conſtet, etiam partes debebuntur, navi debita. Id JCtus declarat exemplis mali & artemonis. *Malus* ſeu arbor navis, eſt pars navis, quia naves pleræq; maximè majores, eodem carere nequeunt *l. 41. de evict.* At *artemon* non eſt pars navis: *Malus* generaliter uſui eſt navigationi; *artemon* non item, ſed tantùm in caſu neceſſitatis *Cujat. Alciat.* & *Godd. h. l.*

AD §. I.

Inter projectum & immiſſum *hoc intereſſe ait Labeo, quòd* projectum *eſſet id, quod ita proveheretur, ut nusquam requieſceret: qualia mœnia & ſuggrundia eſſent:* Immiſſum *autem, quod ita fieret, ut aliquo loco requieſceret, veluti tigna, trabes, quæ immitterentur.*

PRojicere eſt porrò jacere. Jacere autem eſt in apertum aërem mittere, ſine diſcrimine, ubi telum, vel illud quod jacitur, requieſcat. Indæ Mœnianum à Cenſore Mœnio dictum, illud projectum, quod extra ædes ita ut nullibi requieſcat, porrigitur, quo ſpectantes poſſunt inſiſtere, Germanis ein Ercker. Suggrundia ſunt reliqua projecta, quæ utplurimum ſtillicidij avertendi cauſa fiunt die Fürtechter/ dicta à *ſuggrediendo*, quòd quaſi latenter & pedetentim progrediantur è parietibus & tectis. Differt projectum & immiſſum. Id, quod immittitur, neceſſum eſt, in aliquem locum immitti, in quo requieſcat: veluti ſi tignum, trabem, in vicini parietem immittam. Id quod projicitur, non quieſcit alibi, quàm in

in loco, ex quo projicitur. Sic projiciuntur mœniana, & ſuggrundia *h. ſ. n.*

AD §. 2.

Plumbum, *quod tegulis poneretur, ædificij eſſe, ait Labeo: ſed id, quod hypæthri tegendi cauſa poneretur, contra eſſe.*

ÆDes, plumbo tectas, vendidit, quæritur de plumbo, an ſit ædium? JCtus adfirmat, ita tamen, ut id quod hypæthri tegendi cauſa poneretur, ædium non ſit: ejus enim uſus nec perpetuus eſt, nec adeò ædes ipſas ſpectat, ſed patremfamilias. Eſt enim hypæthrum, ſolarium, quo apricari ſolemus *h. ſ. n.*

AD §. 3.

Viduam *non ſolùm eam, quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed eam quoq; mulierem, quæ virum non habuiſſet, appellari, ait Labeo: quia vidua ſic dicta eſt, quaſi vecors, veſanus, qui ſine corde aut ſanitate eſſet. Similiter viduam dictam eſſe, ſine duitate.*

VIdua dicitur quaſi valdè idua, id eſt, valdè diviſa, ſcilicet, à viro. Iduare enim eſt dividere *Tuſca lingua.* Aut quaſi vè, dua, id eſt, ſine duobus, utpote quæ ſola vivit, nec collocata eſt in matrimonium. Poſteriorem notionem nominis Labeo approbat, dum ad exemplum vecordis & veſani eam factam adſerit. Quæcunq; igitur mulier, dummodò non ſit impubes, viro caret, ſive eam nunquam habuit, ut virgo, ſive habuit, & deceſſit, iterum autem nupta non eſt, ut vidua in ſpecie ſic dicta, ſive habet virum, ſed is diutius abeſt, vel eſt inutilis *l. 5. de ſponſal. c. 2. de translat. Epiſ. c. viduas 1. quæſt. 2.*

AD §. 4.

Straturam loci alicujus ex tabulis factis, quæ æstate tollerentur, & hyeme ponerentur, adium esse, ait Labeo: neq; ad rem pertinere, quod interim tollerentur.

STratura est species structuræ; & potissimum est illa structura, qua pavimentum & ea, quibus incedimus, instruuntur; sic enim stratam dicimus viam *Godd. ad h. §. n.*

AD L. CCXLIII.

Scævola respondit, semper acceptum est, ut libertorum appellatione etiam hi contineri intelligantur, qui eodem testamento, vel posteriore loco manumitterentur: nisi manifestè is, à quo peterentur, contra defuncti voluntatem doceret peti.

TEstator libertis legavit alimenta; postea quosdam servos manumisit, JCtus respondet, & hos intelligi libertos, & posse alimenta petere. Unum enim testamentum est, in quo præcedentia aptantur sequentibus *Cujat. hic.* Sed si possit doceri de testatoris voluntate contraria, hæc præfertur. Is autem docere debet, à quo alimenta petuntur, hæc enim ejus est exceptio in qua fit actor *l. 1. de except.*

AD L. CCXLIV.

Si qua pœna est, mulcta est; si qua mulcta est, pœna est. Paulus: utrumq; eorum falsum est. Namq; harum rerum dissimilitudo ex hoc quoq; apparet, quòd de pœna provocatio non est: simul enim atq; victus quis est ejus maleficij, cujus pœna est statuta, statim ea debetur. At mulctæ provocatio est: nec ante debetur, quam aut non est provocatum, aut provocator victus est; nec aliter quàm si is dixit, cui dicere liceret.

Sicut

SIcut genus & species hæc duo pœna & mulcta inter se differunt. Omnis enim mulcta pœna est, sed non omnis pœna, mulcta est. *Pœna* enim supplicium, exilium, relegationem continet, ad litis item æstimationem refertur; *Mulcta* saltem pecuniaria est. A *pœna* non provocatur; at *mulctæ* provocatio est *h. §. n. l. aliud est fraus 131 §. 1. h. tit.*

AD L. CCXLV.

Statuæ adfixæ basibus structilibus, aut tabulæ religatæ catenis, aut erga parietem adfixæ, aut si similiter cohærent lychni, non sunt ædium: ornatus enim ædium causa parantur, non quo ædes perficiantur. Idem Labeo ait, prothyrum, quod in ædibus iterum, qui fieri solet, ædium est.

DUæ legis partes sunt. *In priori* proponitur, non esse ædium, quod est tantum ornatus causa, non autem ad ædes perficiendas. Adfert tria exempla. I. est de statuis affixis, basibus structilibus. Basis est sedes, & pedamentum cuiq; rei sustinendæ *Alciat. h. n. 2.* II. est de tabulis, parieti cohærentibus. III. de lichnis, seu candelabris etiam affixis. Ratio decisionis est, quòd non perpetui usus, sed tantùm ornatus causa, nec ut perpetuò, tanquam ædium pars ibi manerent, sed ne deciderent, aut facilè subtrahi possent, affixa sint. *In posteriori* adjicit, de prothyro, quod sit ædium. Prothyrum, est velamen, quo aditus ædium obtenditur *l. quæsitum 12. §. Papinianus 23. de instrum. vel instruct. leg. Alciat. & Godd. h.*

AD L. CCXLVI.

Apud Labeonem pithanôn ita scriptum est: Exhibet *qui præstat ejus, de quo agitur, præsentiam.* Nam

etiam, qui sistit, præstat ejus, de quo agitur, præsentiam, nec tamen eum exhibet : & qui mutum, aut furiosum, aut infantem exhibet, non potest videri ejus præstare præsentiam. Nemo enim ex eo genere præsens satis aptè appellari potest.

LAbeo in libro pithanôn sive verisimilium scripserat, *exhibere nihil aliud esse, quàm præsentiam ejus, de quo agitur, præstare: & præsentiam præstare nihil aliud esse, quàm exhibere.* Hoc falsum esse Pomponius duplici arguit argumento *h.l. tum quia*, qui sisti aliquem promisit, præsentiam ejus præstat; nec tamen exhibet: *tum quia* qui mutum, aut surdum, aut furiosum, aut infantem præstat, exhibet quidem, sed præsentiã non præstat: quippe quòd satis aptè non possint dici præsentes, qui non intelligunt quid agatur, aut actum peragere non possint, nec animi sensum coram referre queant. At præsentia non solùm est corporis, sed & animi, imò maximè animi *l. coram Titio 209. l. absentem sup. h. tit.* Cæterùm Paulus exhibere, dicit, esse facere in publico potestatẽ, ut ei qui agat, experiundi sit copia *l. 2. ff. ad exhib.*

Ad §. I.

Restituit ***non tantùm, qui solùm corpus, sed etiã qui omnem rem conditionemq; reddita causa præstat: & tota restitutio juris est interpretatio.***

QUæritur, quid sit restituere? Pomponius dicit *hoc loco*, restituere esse non nudum ac solũ ipsum quod exhiberi petebatur, corpus reddere, sed idem cum sua causa, fructibus, accessionibus ac jure præstare *l. plùs est 22. l. restituere 35. l. restituere 75. h. tit.*

FINIS.

INDEX LEGUM AC PARAGRAPHORUM, QUÆ IN HIS COMMENTARIJS DE RERUM & VERBORUM SIGNIFICATIONE CONTINENTUR.

Servi

Litus

Is qui

INDEX NOMINUM, VERBORUM, PRÆPOSITIONUM & Rerum: demonstrans quibus in LL. de his tractetur.

Dum

Morerz

Quanti



ER-

ERRATA.

Lit. A. num. 1. lin. 3. L. pro I. n. 8. l. 6. viro. lin. 15. statutum. lin. 16. leg. torquendo pro loquendo. l. 25. materiæ. n. 5. l. 17. ortum. l. 21. distinguantur. n. 8. l. 11. Juri pro tunc. l. 16. teletur. n. 9. l. 16. cohæreat. l. 29. verbo. Lit. B. n. 15. l. 20. debetur. n. 19 l. 12. empto. n. 23. l. 3. quod l. 29. partes. n. 25. l. 6. propriè. Lit. C. n. 29. l. 20. patrimonio. n. 31. l. 22. actus. l. 24. σὺν. n. 35. l. 29. moreretur. Lit. D. n. 43. l. 16 heredem habet nisi. n. 44. l. 8. habetur. l. 20. redimendi causa persequitur. n. 47. l. 19. pertinet. n. 53. l. 3. restringitur. n. 54. l. 13. sclopetæ. n. 56. l. 4. se dele. Lit. E. n. 64. l. 3. inser. *continetur.* l. 25. secutum. n. 66. l. 18. obstrictum. n. 74. l. 8. sericum. Lit. F. n. 76 l. 5. Arbitrari. n. 79. l. 3. & 4. accipere. n. 81. l. 30. data. n. 85. l. 8. Fulcininus. n. 86. l. 26. rei. n. 87. l. 26. Quæ. n. 89. l. 6. minimum pro maximum. Lit. G. n. 91. l. 12. pupilla. n. 94. l. 2. reipsa. l. 3. habet. n. 99. l. 12. redditis. l. 19. damnas. n. 101. l. 17. bona dele. n. 102. l. 14. respondet Celsus. n. 103. l. 27. hic. n. 105. l. 4. ipsos, pro tantùm de ipsis. n. 106. l. 11. & in. Lit. H. n. 108. l. 9. abrogatur. l. 10. derogatur. n. 110. l. 18. dimittatur. n. 116. l. 24. Perduellionis. n. 122. l. 25. maximum. Lit. I. n. 123. uxori pro marito. l. 28. fracti. n. 125. l. 18. liberis. n. 132. l. 27. illis quorum pro illi in cujus. n. 134. l. 8. utriq;.

Reliqua & sequentia candidus lector ipse corrigere non gravetur.

